MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80497-4

AUTHOR:

SCHWERING, WALTHER

TITLE:

AD PLAUTI AMPHITRUO-
NEM PROLEGOMENA

PLACE:

GRYPHIAE

DATE:

1907

Master Negative #

92-80497-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books       FUL/BIB   NYCG92-B10480          Acquisitions     NYCG-PT
FIN ID CSUG90-B37032 - Record 1 of 1 - Record added today
+
  ID:NYCG92-B10480            RTYP:a    ST:p    FRN:    MS:   EL:u     AD:02-13-92
  CC:9914   BLT:am      DCF:    CSC:d   MOD:    SNR:       ATC:        UD:02-13-92
  CP:xx       L:lat     INT:    GPC:    BIO:    FIC:0      CON:
  PC:s       PD:1907/           REP:    CPI:0   FSI:0      ILC:         II:0
  MMD:       OR:     POL:     DM:     RR:       COL:       EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Schwering, Walther,‡d1885-1915.
  245 00   Ad Plauti Amphitruonem prolegomena‡h[microform];‡bcommentatio philolog
          ica ...‡cscripsit Gualtharius Schwering ...
  260      Gryphiae,‡bOfficina Regiae Litt. universitatis typographi Iulii Aber,‡
          c1907.
  300      69, [1] p.‡c24 cm.
  502      Thesis--M_unster.
  500      Vita.
  600 10   Plautus, Titus Maccius.‡tAmphitruo.
  LDG      RLIN
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3/12/92   INITIALS TM

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

AD PLAUTI AMPHITRUONEM PROLEGOMENA

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM PHYSICORUMQUE

ORDINIS IN ALMA

LITTERARUM UNIVERSITATE REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

GUALTHARIUS SCHWERING

GUESTFALUS

GRYPHIAE

OFFICINA REGIAE LITT. UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI IULII ABEL

1907

De hac commentatione ad ordinem rettulit
P. E. Sonnenburg

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM

Index capitum.

Index capitum.

I. De Amphitruonis prologo.

Multi saeculi superioris viri docti sententia ante capta Plautinarum fabularum prologos perlustrantes 'frigidos iocos et inutilem loquacitatem', ut Ussingii verbis utar, sibi visi sunt reperire, quae Sarsinate poeta indigna posteriori aetati tribuenda essent. Tam audacter ut de prologorum sermone iudicarent aliique alias prologorum partes damnarent, Ritschelii Plauti sospitatoris auctoritate perducti esse videntur, qui quos versus, quibus de causis saeculo u. c. septimo tribuerit non nescimus. Nemo autem tam temere iudicare ausus est quam Martinsius Ussingiusque, qui integrum Amphitruonis damnaverunt prologum; immo omnes reliquos viros doctos qui de hoc prologo scripserunt velut Liebigium, Steinhoffium, Lorenzium in praefatione 'Militis' et in Martinsii commentationis censura (Bursiani annal. 1889, II p. 3) non fugit, arte illas partes qua argumentum narretur et qua histrionum ut iusti arbitri sint spectatores orentur, cum ipsa fabula cohaerere. Quos quisque versus damnaverit mihi licet mittere, quippe qui magna et admirabili cum diligentia a Gustavo Loewe et Georgio Goetz in fabulae huius editione enumerati sint. Laudandum sane est Trautweinii[1]) hac de re iudicium sobrium: 'Etiamsi potius additamenta quaedam posteriore tempore adspersa esse concedendum est, tamen eandem rationem atque ceteris etiam nostro prologo fuisse pro certo confirmari posse videtur et Mercurium ita munere suo functum esse, ut primum in uni-

1) De prologorum Plautinorum indole atque natura. Diss. Berolin. 1890 pag. 59.

versum de persona sua ad spectatores complura daret deinde argumentum eloqueretur credo. Accuratius de hac re disserere et qui versus Plauti sit, qui recentioris poetae disceptare nolim. Nisi enim probabili ratione quicquam eruere possumus — quod hic fieri posse nego — inutile et supervacaneum duco alios alias coniecturas vanas et fragiles effundere.' Fusius de hoc prologo scripsit Audollent[1]), qui duas accuratius discernit prologi partes Plauto tribuendas, priorem versus 1—63 et 88—96 continentem, qua Mercurius nomen suum eloquatur, quid et cuius iussu venerit dicat, spectatorum expetat benevolentiam, naturam comoediae explicet, alteram versus 97—111 et 116—152 continentem, qua exponantur ea, quae spectatoribus nota esse debeant ad argumentum perspiciendum: prologum ita restrictum neque quidquam inutile continentem iure Plauto tribui, sive ab ipso compositus sive e graeci exemplaris imitatione scriptus sit.

Suo iure Trautweinius probabilem rationem qua quicquam erueretur esse illa aetate negabat; quod nunc hoc negare nobis non iam licet, eam ob rem summa laus debetur semperque debebitur Friderico Leoni, qui libro illustrissimo quem inscripsit 'Plautinische Forschungen' docuit, quomodo ex Euripideae, ut alios scriptores omittam, Plautinaeque artis comparatione summa cum probabilitate erui possit, quomodo Plautus in prologis exemplaria graeca secutus sit. Docte et eleganter vir ille doctissimus haec de Amphitruonis prologo cum Menaechmorum comparando scribit: 'Der Stoff ⟨Menaechmorum sc.⟩ ist entschieden von der Art, die nach der Technik des Aristophanes und der Komoedie eine Einleitungsrede verlangt und diese nur von einer ausserhalb der Handlung stehenden Figur erhalten kann. Die bestätigende Analogie, in Ähnlichkeit und Verschiedenheit, gibt der Amphitruo, das mythologische Gegenstück der Menaechmi, der Stoff, an dem Hermippos und Platon die

1) Revue de philologie 19 (1895) p. 70 sqs.

Verwechselungskomoedie der Δίδυμοι vorgebildet haben. Dort führen Götter die Handlung und können freilich ihre Vorbedingungen angeben; aber auch dort geschah es nicht allmählich, im Verlaufe des Stückes, sondern in einer Einleitungsrede, auf deren auffallende Ähnlichkeit mit dem prologus Merkurs im (nachalexandrinischen) Amphitruo Frantz p. 40 aufmerksam gemacht hat; so dass wir auch die prologartigen Zwischenreden des Amphitruo älterer Erfindung zuschreiben dürfen.' Ex illis autem Platonis fragmentis quos Frantzius attulit[1]), clare apparet, alteram prologi partem Plautum exemplaris graeci vestigia arte prementem composuisse. Neque de priore parte hoc improbabiliter mihi dicere videor, etsi nonnullos versus Sarsinas poeta aut mutavit aut addidit, quibus res suis aequalibus notas commemorat.

Illa ratio, qua Mercurius inducitur a munere suo divino ordiens non dissimilis est ab Euripidis arte, qui in Hippolyto Aphroditen suam potestatem enuntiantem fecit primis ipsis prologi versibus:

Πολλὴ μὲν ἐν βροτοῖσι κοὐκ ἀνώνυμος
θεὰ κέκλημαι Κύπρις οὐρανοῦ τ' ἔσω,
ὅσοι τε πόντου τερμόνων τ' Ἀτλαντικῶν
ναίουσιν εἴσω φῶς ὁρῶντες ἡλίου,
τοὺς μὲν σέβοντας τἀμὰ πρεσβεύω κράτη,
σφάλλω δ' ὅσοι φρονοῦσιν εἰς ἡμᾶς μέγα.
ἔνεστι γὰρ δὴ κἀν θεῶν γένει τόδε,
τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.
δείξω δὲ μύθων τῶν δ' ἀλήθειαν τάχα·

Quis est quin hos proximos versus legens recordetur de illis Mercurii versibus, quibus spectatores Jovem metuere et vereri aequum esse dicit. Atque Mercurius quod in Jonis

1) De comoediae Atticae prologis. Diss. p. 40: 'ἐνταῦθ' ἐπ' ἄκρων τῶν κροτάφων ἕξει λύχνον δίμυξον' et 'ἕξουσιν οἱ πομπεῖς λυχνούχους δηλαδή'; cf. Amph. vs. 140—145; 148 sq.

Euripideae prologo dicit, postquam 'Ἑρμῆν δαιμόνων λάτριν versu quarto se professus est: ἥκω δὲ Δελφῶν τήνδε γῆν', id quidem nihil aliud est atque quod dicit in Amphitruone comico sermone loquaciore usus:

> nunc quoius iussu venio et quam ob rem venerim
> dicam simulque ipse eloquar nomen meum.
> Jovis iussu venio: nomen Mercuriost mihi.

Quibus versibus Leo in editione adscripsit: '17—19 recentiores sunt quam 1—16, quorum tenor Mercurium spectatoribus notum ostendit, praesertim v. 11. 12; sed hoc Plauto atticum prologum vertenti an retractatori tribuendum sit dubites. Ac versus 11 et 12:

> nam vos quidem id iam scitis concessum et datum
> mi esse ab dis aliis nuntiis praesim et lucro,

male cum versibus illis 17—19 coire non nego; sed potius hos a Plauto crediderim insertos esse, qui spectatores de Mercurio non solum mercaturae, sed etiam nuntiorum deo admonere vellet, quem homines Romanos a Graecis petivisse constat[1], quam ab homine inferioris aetatis, qua Mercurium deorum et praecipue Jovis nuntium esse nemo iam nesciebat. Atque ceteros versus graeco exemplari deberi eam ob causam probabile mihi videtur, quia semper dii heroesque, qui in Euripideis vel Plautinis prologis introducuntur, initio fere — neque aliter faciunt Euripidis 'dei ex machina' — nomina sua pronuntiant, ut comicus poeta aut morem secutus aut moris eludendi causa 'paratragoedans' primum de munere suo, tum de nomine faceret Mercurium dicentem. Ne Euripidis quidem prologi simili neglegentia vacui esse videntur; de Arnim quidem in commentatione de prologorum Euripideorum arte et interpolatione scripta[2]) compluribus exemplis docuit Euripidem, cum

1) Wissowa, Religion und Cultus der Römer pag. 248: Stichi vs. 274: 'Mercurius, Jovis qui nuntius perhibetur . . .'
2) Diss. Gryphiswaldens. 1882, p. 82.

in ceteris fabulis personas προλογιζούσας ipso exordio quae sint significantes fecerit, in fabulis quas post Siculam expeditionem scripserit, neglegentiorem se praebuisse; 'argumento sunt: Phoenissae (v. 12), Helena (v. 22), Orestes (v. 23), Electra (v. 35)'. Praecipue Helenae versus ad hanc quaestionem diiudicandam non inutiles esse videntur, cum Helena versibus 16—21 de se quasi spectatoribus nota loquatur, versu 22 demum nomen indicet:

> ἡμῖν δὲ γῆ μὲν πατρὶς οὐκ ἀνώνυμος
> Σπάρτη, πατὴρ δὲ Τυνδάρεως· ἔστιν δὲ δὴ
> λόγος τις ὥς Ζεὺς μητέρ' ἔπτατ' εἰς ἐμὴν
> Λήδαν κύκνου μορφώματ' ὄρνιθος λαβών,
> ὃς δόλιον εὐνὴν ἐξέπραξ' ὑπ' ἀετοῦ
> δίωγμα φεύγων, εἰ σαφὴς οὗτος λόγος.
> Ἑλένη δ' ἐκλήθην.

Fortasse Euripides consulto hoc ita instituit, ut animos spectatorum magis magisque attenderet; cui sententiae id obstare videtur quod apud Graecos[1]) et Romanos[2]) fabularum titulos et actores civibus pronuntiatos esse verisimile est. Sed facile intellegitur, Helenae prologi artem similem esse atque Amphitruonis, quod eo gravius mihi esse videtur quo rectius Fridericus Leo in quaestionibus Plautinis (p. 102) haec scripsit: '. . . Ein Stück wie die Helena des Euripides steht der Komoedie, die wir aus Plautus und Terenz kennen, näher als selbst der Plutos.'

Idem ille vir doctissimus versus 26—38 postea adiectos esse putat: 'debilitant locum qui sequitur 86 sq.'; sed multo gravius ei alterum illud argumentum visum esse puto, quod Langenus versum tricesimum tertium a Plautino sermone abhorrere docuerat. Atque ille versus quomodo in textum ir-

1) In proagone hoc factum esse docuit E. Rohde in mus. Rhen. vol. 38 p. 251 sqs.
2) Leo Plaut. Forsch. p. 222 [Schanz, Röm. Lit. I 1³ p. 96, p. 202].

repserit docere conabor. Aegre perspicitur quomodo cohaereant cum versu tricesimo altero:

propterea pace advenio et pacem ad vos adfero

versus proximi:

iustam rem et facilem esse oratam a vobis volo: 33
nam iusta ab iustis iustus sum orator datus:
nam iniusta ab iustis impetrare non licet, 35
iusta autem ab iniustis petere insipientiast;
quippe illi iniqui ius ignorant neque tenent.

Versibus enim superioribus in duplici sua Jovisque patris natura ludens iocansque se sibi praetimere et malum metuere dixit, propterea se pace advenire. Hunc versum cum inferioribus illis 39 sqs., e quibus annis superioribus bellum fuisse Romanis apparet, arte cohaerere facile intellegitur; admonet enim spectatores Mercurius, se pace advenire; hanc autem pacem illos patri suo debere. Versus qui intersunt 34—37 locum obtinuisse videntur post versum decimum sextum, quocum optime coniunguntur:

haec ut me voltis adprobare, adnitier 13
lucrum ut perenne vobis semper suppetat,
ita huic facietis fabulae silentium,
itaque aequi et iusti hic eritis omnes arbitri. 16
nam iusta ab iustis iustus sum orator datus[1]: 34
nam iniusta ab iustis impetrari non decet,
iusta autem ab iniustis petere insipientiast,
quippe illi iniqui ius ignorant neque tenent.

Atque facile quomodo hic librarii error ortus sit explicatur. Ritschelius enim summa cum probabilitate numerum versuum archetypi paginarum vicenos fuisse evicit.[2]) Titulum fabulae

1) Cum huius versus arte fortasse licet comparare Euripidis Alcest. v. decimum: ὁσίου γὰρ ἀνδρὸς ὅσιος ὢν ἐτύγχανον.

2) Alii viri docti aliter archetypi Palatini paginarum numerum versuum constituerunt, velut Havetus in editione Amphitruonis numerum versuum putat fuisse quadraginta, Seyffertus, Lindsay, de quibus cfr. Schanz Röm. Litt. I 1^3 (1907) 108.

vel prologi et personarum nomina binorum versuum spatium occupavisse multi libri manuscripti docent; prima igitur pagina continebat Amphitruonis titulum et argumenta, quae in codice Ambrosiano minusculis litteris scripta sunt; altera pagina continebat prologi titulum et Mercurii nomen et versus 1—16, ut facile potuerit accidere, ut librarius in summa pagina superiores animo tenens illos versus qui sunt de iustis et iniustis omitteret et inciperet a versu decimo septimo: 'nunc quoius iussu venio et quam ob rem venerim . .' Errore intellecto in ultima pagina eos subscripsit, ut viginti versuum numerus expleretur, ubi infelici casu manserunt et a librario quodam, qui rectum versuum ordinem non perspiceret, cum superioribus inserto illo tricesimo tertio, cum inferioribus versu illo tritissimo duodequadragesimo 'nunc huc animum omnes quae loquar advortite' coniuncti sunt, ut aliquis sententiae conexus evaderet.

Versus ille quem modo attuli vicesimus alter:

propterea pace advenio et pacem ad vos adfero,

variis coniecturis temptatus est. Quamquam illa quae nunc fere recepta est emendatio Acidalii:

propterea pace advenio et pacem ad vos fero,

levissima fit mutatione, tamen minus mihi placet, quia quomodo in textum illa praepositio irrepserit non facile puto explicari, nisi mera libidine mutandi hoc addidisse librarium statuamus. Sed longe facilius credemus librarium erravisse quam consulto quod aperte inutile et supervacaneum esset addidisse, qua de causa hanc potius crediderim genuinam lectionem:

propterea pace advenio et pace me adfero.

Facillime librarius versum voce tenui et admodum deminuta legens aut praelectum male intellegens E litteram pronominis ME non auditam potuit omittere: 'propterea pace advenio et PACEMADFERO'. Qui postea hunc versum legit

'pacem' accusativum casum esse putare debebat et aut metri claudicantis sanandi aut versus explicandi causa super lineam adscripsit 'ad vos', quod ea aetate, qua numeri Plautini innumeri habebantur in ipsum versum irrepsisse mirum non est. Versus ita constitutus per sententiam quoque melius stare videtur; cum enim Mercurius pace se advenire dixisset, non iam pacem se adferre ei licuit dicere. Similem sanandi viam ingressus coniecit Palmerus: 'propterea pace advenio et ad vos me adfero', ex quo quomodo illud 'pacem ad vos adfero' ortum sit difficulter intelligitur neque 'pacis' vocem repetitam neglegere licere videtur. Illud 'se adferre' apud Plautum (Amph. 989) et Terentium (Andr. 807) invenitur, et locutio illa 'advenio et me adfero' non inepta esse videtur in sermone comico; legas quaeso locum Tzetzae qui est de comoedia (Kaibel CGF I p. 18. 19): 'ὁ δὲ γέλως τῆς κωμῳδίας ἔκ τε λέξεων καὶ πραγμάτων ἔχει τὴν σύστασιν· ἐκ μὲν τῶν λέξεων κατὰ τρόπους ἑπτά· πρῶτον καθ' ὁμωνυμίαν ὡς τὸ 'διαφορούμένοις'. . . . . δεύτερον κατὰ συνωνυμίαν, ὡς τὸ 'ἥκω καὶ κατέρχομαι' (Arist. Ran. 1156) ταὐτὸν γάρ ἐστι'. Quod etsi non est idem, sed 'ὕστερον πρότερον' quod vocatur, tamen Plauto illam dicendi formulam latine 'advenio et me adfero' vertere licuisse persuasum habeo.

Leo ut versus 26—38 postea adiectos esse evincat, alterum affert argumentum quod ne ipsum quidem multum valere mihi videtur: 'debilitant locum qui sequitur 86sq.', quos versus huc affero:

> mirari nolim vos quapropter Juppiter
> nunc histriones curet; ne miremini:
> ipse hanc acturust Juppiter comoediam.
> quid admirati estis? quasi vero novom
> nunc proferatur, Jovem facere histrioniam.

Homines enim Romanos ante ludos ipsos non ignoravisse Jovem et Mercurium prodituros esse verisimile est et Mercurius

ea quae orare iussus erat vix ita poterat proferre, ut spectatores Jovem ipsum in scaenam proditurum esse omnino non possent divinare; neque magis versus 26—38 inferiores illos 86sqs. debilitare mihi videntur quam versus 19sqs. et versus 39sq.

Versum quinquagesimum 'nunc quam rem oratum huc veni primum proloquar' suo iure tuetur Leo: '„quam rem"' inquit 'vix differt a pronomine'. Damnaverat enim eum quoque Langenus, qui hunc persuasum habebat fuisse usum Plautinum verbi orandi (Beiträge p. 318): 'orare in dem Sinne von 'bitten' . . . steht . . . entweder absolut . . . . oder mit ut oder mit dem Akkusativ der Person, mit ut oder ohne ut . . . . Die Sache steht bei Plautus aber nur dann als Objekt, wenn sie durch das Neutrum eines Pronomens ausgedrückt ist . . . Cui sententiae complures versus obstare videntur, in quibus orandi verbo utrum 'dicere' an 'petere, exorare' significare voluerit poeta valde est dubium. Facere non possum quin 'orare' idem atque 'petere' esse censeam in Rudentis versu 1138, ubi 'orare' et 'obsecrare' aperte synonyma sunt.

> si erunt vera, tum opsecro te ut mea mihi reddantur-Placet:
> ius merum oras meo quidem animo.

Eodem fere modo iudicandum esse videtur de versu eiusdem fabulae 1152:

> ius bonum oras. — Edepol haud +te orat; nam tu iniuriu's,

et de Trinummi versibus 247sqs., ubi 'orare' idem esse atque 'petere' versuum sententia facile atque clare docet; queritur enim Lysiteles adulescens de avaritia et cupiditate meretricum, quae novas semper res ab amatoribus sibi expetant:

> 'da mihi hoc, mel meum, si me ames, si audes'.
> ibi ille cuculus: 'ocelle mi, fiat:
> et istuc et si amplius vis dari dabitur'.
> ibi illa pendentem ferit: iam amplius orat'.

Affere insuper licet Trinummi versum 1161:

ius hic orat — Impetrabit te advocato et arbitro,

et Pseudoli 537: . . . ius bonum orat Pseudolus:

'dabo' inque!

Proximos prologi versus qui sunt de comoediae tragoediaeque differentia e Graeco exemplari manavisse crediderim, quamquam ut sententiam plane eandem apud Graecum Alexandrinae aetatis scriptorem investigarem non contigit. Diomedes quidem quem multa e graecis fontibus hausisse verisimile est, scripsit haec (Kaibel FCG p. 57): Comoedia est privatae civilisque fortunae sine periculo [vitae] comprehensio, apud Graecos ita definita: κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή . . . . . . (§ 3; p. 58) comoedia a tragoedia differt, quod in tragoedia introducuntur heroes duces reges, in comoedia humiles atque privatae (personae), in illa luctus exilia caedes, in hac amores, virginum raptus.'

Similis sententia est in Euanthii tractatu qui dicitur 'de fabula hoc est de comoedia' (Kaibel p. 66): 'inter tragoediam autem et comoediam cum multa tum imprimis hoc distat, quod in comoedia mediocres fortunae hominum, parvi impetus periculorum laetique sunt exitus actionum, at in tragoedia omnia contra, ingentes personae, magni timores, exitus funesti habentur'.

Similiter dicit Captivorum prologus:

ne vereamini
quod bellum Aetolis esse dixi cum Aleis;
foris illic extra scaenam fiunt proelia.
nam hoc paene iniquomst, comico choragio
conari desubito agere nos tragoediam.

Affero etiam Tzetzae στίχους περὶ διαφορᾶς ποιητῶν (Kaibel p. 36. 37):

ἄμφω δὲ πρὸς σύστασιν ἦσαν τοῦ βίου.
ὁ γὰρ τραγικὸς τῶν πάλαι πάθη λέγων,
Ῥήσους, Ὀρέστας, Φοίνικας, Παλαμήδεις
τοὺς ζῶντας ἐξήλαυνεν ἀγερωχίας.
ὁ κωμικὸς δέ πως γελῶν κωμῳδίας
ἅρπαγά τινα καὶ κακοῦργον καὶ φθόρον
τὸ λοιπὸν ἡδραίωσεν εἰς εὐκοσμίαν.

Fortasse scriptorum illorum grammaticorum fons fuit Aristoteles, quippe qui comoediam censuerit esse 'μίμησιν φαυλοτέρων'.

Versum 64 'nunc hoc me orare a vobis iussit Juppiter' cur cum Langeno expellamus causam non video; nam etiamsi Langenum hanc iuncturam iure a Plauto abiudicavisse censemus, levissima medicina licet hunc versum sanare: 'nunc hoc me vos orare iussit Iuppiter', cuius usus e permultis exemplis a Langeno in pag. 318 collatis unum affero Mostellariae versum 752 'nunc te hoc orare iussit opere maxumo'.

Proximos versus ab omnibus viris doctis Ritschelii sententiam secutis damnatos Fabia[1]) et Bauerus[2]) iniuria Plauto abrogatos esse evicerunt, ut hanc quaestionem quasi pertractatam omittenti mihi liceat accedere ad versus 89 sqs., quos Ussingius, quia non satis perspiciebat, ineptos 'ne a prologi quidem huius auctore profectos esse' censebat; superiores autem versus ad eas referebat fabulas, quibus 'in cuculum, in olorem, in aquilam, in auream pluviam, in alia omnia' Iovem mutatum esse narretur. Sed mira ita verborum paucitate uteretur prologi poeta alioquin loquacissimus, quod eo magis est mirum, quo accuratius semper fere fabulae ad deorum heroumve historiam spectantes significantur. Neque dicere licet omnes illas fabulas Romanis notas

1) Philippe Fabia, Les théâtres de Rome au temps de Plaute et de Térence. Revue de philologie 21, 1897, p. 11—25.

2) F. Bauer, quaestiones scaenicae Plautinae. Diss. Argent. 1902 p. 31 sqs.

fuisse. Nam etsi difficulter id diiudicatur, quae fuerit Graecarum fabularum scientia hominibus Romanis Plauti aetate, id facile intellegitur Plautum nominatim semper tangere Graecas fabulas atque ita ut spectatores etiam minus bene eruditi de fabulae argumento facile divinare et versuum sententiam iocique vim si non plane perspicere, at certe suspicari possent.

Quod Ussingius dicit 'anno' quasi sit ante annum latine dici non posse profligatur duobus illis locis quos attulit Palmerus ad hunc versum, Lucilii v. 28, 23: 'utrum anno an horno tute abstuleris a viro', et Menaechmorum versu 205: 'quattuor minis ego istanc emi anno uxori meae', quem versum quamvis bene stet per sententiam et leges metricas, Ussingius nescio qua de causa corruptum esse censeat. Neque dubium mihi videtur quin recte emendaverit Iustus Lipsius Truculenti versum 393, ubi dicit meretrix quaedam, se praegnatem se simulasse

propter militem
Babyloniensem qui quasi uxorem sibi
me habebat anno, dum hic fuit.

Non igitur se dubitare dicit Ussingius, quin in prologi illo versu aliud scriptum fuerit velut ante vel antehac, nec certam aliquam rem commemorari credit, sed Iovem, quotiens ab histrionibus advocatus esset, iis adfuisse. Sed nullum quantum scio testimonium exstat neque ullus in ulla fabula versus, qua histriones suo nomine ante ipsas fabulas agendas deos invocare solitos esse probetur, atque veri dissimillimum id mihi videtur, cum histriones non ea solum aetate, sed posteriore quoque usque ad Caesarum aetatem infames haberentur. Rectius versum perspexisse videtur Palmerus (in edit. p. 139): 'The reference is evidently to some play in which Iuppiter appeared as a deus ex machina'. Fortasse argumentum comoediae eiusmodi erat, ut histrionibus in scaena dei auxilium exorantibus Iuppiter statim auxilium ferret ita ut nimia eius clementia et benevolentia erga histriones et poetam spectatoribus

risui esset.[1]) Neque versum nonagesimum tertium damnare

1) Si licet coniecturam facere fortasse nimis audacem, cogitaverim de Caecilii Statii 'Epistula', cuius alterum fragmentum attulit Priscianus p. 695 P: 'Iovis nominativo quoque casu invenitur. Caecilius in Epistula:

nam nobis equidem deus repertus est Iovis' ⟨Ribbeck SPF II³ p. 48⟩.

Quocum non male illud coire videtur, quod Caecilii Statii fabulas priores minus placuisse scimus ex L. Ambivii prologo Hecyrae altero:

Orator ad vos venio ornatu prologi:
sinite exorator sim, eodem ut iure uti senem
liceat, quo iure sum usus adulescentior,
novas qui exactas feci ut inveterascerent,
ne cum poeta scriptura evanescerent.
in eis quas primum Caecili didici novas.
partim sum earum exactus, partim vix steti.
quia scibam dubiam fortunam esse scaenicam,
spe incerta certum mihi laborem sustuli.
easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem
novas, studiose, ne illum ab studio abducerem.
perfeci ut spectarentur: ubi sunt cognitae,
placitae sunt. ita poetam restitui in locum
prope iam remotum iniuria adversarium.

Qui L. Ambivius Turpio cum anno centesimo sexagesimo tertio senex esset, non fieri non potuit, ut Caecilii fabulam disceret anno ducentesimo altero: nam adulescentes saepe histriones fuisse probare licet initio prologi Hautontimoroumeni:

ne quoi sit vostrum mirum, quor partis seni
poeta dederit, quae sunt adulescentium,
id primum dicam, deinde quod veni eloquar.

Neque male cum his quae exposui coniungi possunt quae de Caecilii Statii aetate scripsit Ritschelius in Parergis (pag. 183 sqs.): Romam venit Caecilius annis 528 (226 a. Chr. n.) — 531 (223 a. Chr. n.): mortuus est anno 151. Etsi puer Romam venit, tamen nihil obstat quominus eum triginta fere annos natum comoedias quae displicerent scribere coepisse censeamus. Neque quod in argumentis palmam eum poscere scimus, impedit, quominus adulescentem eum argumento peccasse credamus, immo optime haec inter se coire videntur, quia facillime adulescens insolitis novisque argumentis studens eo potuit displicere, quo vir valde placuit. Nihilominus fateor mihi ipsi nimia cum audacia me haec statuere videri atque timeo, ne vehementer vituperaturi sint temeritatem meam viri

audeo; cum versu undenonagesimo certe non pugnat, quia superiore versu expresse dicit Mercurius, comoediam hanc Iovem esse acturum.

Quin altera prologi pars, qua argumentum narratur, Plautina sit neminem puto dubitare, quamquam pauci quidam versus omnino tolerari non possunt, alii suo loco ferri nequeunt; versus dico 116—119:

nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini,
quod ego huc processi sic cum servili schema:
veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam.
propterea ornatus in novom incessi modum:...

Iam Fridericus Leo his versibus adscripsit: '116—119 huc non pertinent nec cum sequentibus cohaerent; ante narrationem argumenti locum habent, nam vetus atque antiqua res, quae nova profertur, argumentum est. post v. 92 ante v. 97 olim audiebantur. huc transpositis adiecti sunt 120. 121 post v. 112. 115 intolerabiles'. Ante versum 104 puto versus illos auditos esse, quocum optime coniunguntur, versu 119 spurio omisso:

nam ego vos novisse credo iam ut sit meus pater,
quam liber harum rerum multarum siet,
quantusque amator sit quod complacitumst semel.

Qui versus 116—118 eodem librarii errore in ultimam paginam delati esse videntur quo versus illi de quibus supra scripsi 34—37; continebat enim pagina libri quarta v. 39—58, quoniam versum 38 postea adiectum esse supra docui, pagina quinta v. 59—78, pagina sexta v. 79—98, pagina septima 99—118. Neque mirum quod librarii oculi a fine versus 103 'suam' ad versum 118 'proferam' et ab initio versus 116 'nunc' ad versum 104 'nam' aberraverunt. Atque optima ita evadit

docti, qui haec legerint, quod lubentissime feram, si modo meo errore commotus doctior quispiam probabiliorem horum versuum sententiam nos docebit. Inepti, ut Ussingio, mihi quidem non videntur, sed obscuri.

versuum sententia. Nam postquam Mercurius Amphitruonem uxorem gravidam fecisse et ad exercitum profectum esse narravit, ei narrandum erat de Iove Alcumenae amore accenso, cuius narrationis exordium optime ita instituit poeta:

nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini, 116
quod ego huc processi sic cum servili schema,
veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam. 118

Vetus autem illa atque antiqua res sunt Iovis amores, atque festivo quodam modo versus proximi cum illis coniunguntur verbis illis simillimis 'novam' 'novisse':

nam ego vos novisse credo iam ut sit meus pater . . . 104

Etiam 'nam' particula optime nunc versus illos 118 et 104 inter se coniungit, quae post versum 103 nullo modo intellegi poterat. Versus 119—121, qui tolerari nequeunt ex aliis huius prologi versibus aperte consuti, cur inserti sint facile intellegitur, neque quidquam illis versibus omissis deest:

sed ita adsimulavit se quasi Amphitruo siet 115
omnesque eum esse censent servi qui vident: 122
ita vorsipellem se facit quando lubet.

Ita versibus singulis suspectis pertractatis id docere ausus sum, nimia cum severitate viros doctos prologum perscrutatos esse; plurima enim quae attulerunt argumenta non cogere nos videntur, ut versus damnemus.

Atqui in artem prologi si accuratius inquirimus, facillime intellegimus, omnia bene stare et tantum abesse, ut posteriori aetati magna prologi pars debeatur, ut ars prologi ea mihi videatur, qua genuinum eum censere nos oporteat. Tria enim facillime discernimus prologi capita, ne versuum quidem numero dissimilia: caput primum versuum 47, omissis versibus 33 et 38 spuriis, caput alterum ipsum quoque 47 versuum, 50—96; caput tertium, v. 97—152, versuum (spuriis tribus 119—121 neglectis) 53 aut potius 48, nam postremi versus, quibus Sosiam

iam appropinquare nuntiat Mercurius, eodem iure et prologo et actus primi prooemio tribuuntur.

Caput primum ipsum quoque divisum est in partes tres, quarum prima dicit Mercurius se spectatores iustos arbitros futuros esse sperare, altera enuntiat, quam ob rem et ipse et pater, quamquam dii sint, precibus adeant spectatores, tertia docet, suo iure se a spectatoribus illa quae velint expetere.

Eodem modo caput alterum divisum est in partes tres, quae facile discernuntur; prima parte Mercurius spectatores admonet, hanc esse comoediam inter ceteras tragico colore excellentem, altera quae orare iussus est profert, tertia admonet spectatores, ne Jovem histrionis partes agentem mirentur.

Atque haec prologi capita expresse a poeta discreta esse videntur, velut versu quinquagesimo:

nunc quam rem oratum huc veni primum proloquar,
post argumentum eloquar tragoediae,

versu nonagesimo quinto:

. . . nunc huc animum advortite
dum huius argumentum eloquar tragoediae.

Hanc tripartitionem consulto Plautum instituisse veri non dissimile mihi videtur, quippe qui sciam non antiquos solum Graecorum et Romanorum, sed medii quoque aevi poetas carmina lyrica saepe fecisse tripartito. Neque Euripidem in prologis componendis tripartitionis artem plane neglexisse iis praecipue fabulis probatur, quas provectus scripsit aetate. Quamquam neglegentius se gessit in Iphigeniae Tauricae et Phoenissarum prologis quam in posteriorum fabularum, tamen facile tres partes discernimus. Iphigenia primum ea narrat, quae antequam in Tauriam delata sit, facta sint, deinde de Taurorum rege, moribus, suo munere ea profert, quae poeta spectatores scire voluit, tum ea narrat, quae ipsam fabulam antecedant i. e. somnium suum, quo noctu territa sit. Neque versuum numerus idem est trium partium, nam cum prima et

tertia pars vicenos et quinos complectantur, media sedecim est versuum. Distincte seiunguntur pars media et tertia versu 42sq.

ἃ καινὰ δ᾽ ἥκει νὺξ φέρουσα φάσματα,
λέξω πρὸς αἰθέρ᾽ εἴ τι δὴ τόδ᾽ ἔστ᾽ ἄκος,

minus distincte pars prima et altera.

Cum in Iphigeniae prologo altera pars sit brevior, in Phoenissarum prologo est tertia. Iocaste, quae huius fabulae prologum dicit, prima parte narrat Oedipodis adulescentiam apud Polybum actam, altera profert notissima illa scelera, quae inscius Oedipus commisit, tertia litem inter Polynicem et Adrastum exortam narrat, quae pars viginti quattuor versus complectitur, cum ceterae vicenos singulos complectantur.

Simillimae quod ad versuum numerum attinet sunt Helenae prologi partes viginti unum, viginti quattuor versus complectentes; prima pars qua suae familiae historiam fabularem narrat, aperte a poeta discreta est a parte altera, qua bellum a Menelao cum omnibus Graecis coniuncto Troianis illatum esse narrat eiusque causas profert:

Ἑλένη δ᾽ ἐκλήθην· ἃ δὲ πεπόνθαμεν κακὰ
λέγοιμ᾽ ἄν.

Alterius igitur partis initio praenuntiat, quae infra narratura sit; similiter dicit Mercurius initio partis alterius:

nunc quam rem oratum huc veni primum proloquar,
post argumentum huius eloquar tragoediae.

Non aeque facile Orestis prologi tripartitio perspicitur, quamquam de ea vix negari posse mihi videtur; prima parte Electra ea narrat, quae ante matris caedem facta sunt, altera Orestis scelus et insaniam, tertia ea, quae ad ipsius fabulae argumentum attinent: Argivos hoc ipso die consilium de fratris suaque sorte capturos esse, Helenam advenisse, Menelaum paulo post adventurum esse.

Nullius prologi tripartitio tam aperta et clara est atque Baccharum. Prima parte ea Bacchus narrat, quae facta sint

antequam ipse in Graeciam Thebasque venerit, altera parte ea, quae Thebis fecerit, tertia parte ipsius fabulae argumentum indicat vel potius ea narrat, quae ad fabulae argumentum intellegendum spectatoribus nota esse debebant. Omnium partium versuum numerus est idem fere; complectuntur pars prima versus viginti duos, altera viginti, tertia viginti unum, atque apertissime singulae partes inter se disiunguntur.

Quamquam Plautum exemplar prologi non 'verbum e verbo' exprimentem vertisse constat, tamen tripartitionem ipsi Plauto, non retractatori cuidam deberi plus quam verisimile est, atque ita poetam Sarsinatem prologum vertisse puto, ut aut pro graecis versibus omissis alios res spectatoribus Romanis notas commemorantes insereret aut graeci prologi arte perspecta ipse eandem artem observare studeret.

II. De actae Amphitruonis tempore.

Duae fabulae e viginti integrarum numero cum quibus annis actae sint satis certo constet codicis Ambrosiani didascaliis, tertia Miles Gloriosus ex ipsius fabulae versibus illis notissimis quibus Naevius commemoratur, multi viri docti ut aliarum tempora enuclearent operam navaverunt saepe inutilem.

Atque Amphitruo quo anno acta sit constitui eam ob rem multum interesse videtur, quia hanc fabulam praeter ceteras insignem et Romanum et tragicum colorem prae se ferre omnes viri docti consentiunt, cuius rei causam fortasse perspicere licebit tempore fabulae definito[1]).

Proficiscor a versu tricesimo altero non inutili ad hanc quaestionem diiudicandam, quamvis ambigua sit versus lectio:

propterea pace advenio et pacem ad vos adfero,

quem supra exposui sic scribendum videri:

propterea pace advenio et pace me adfero;

ad propositam enim quaestionem tractandam nihil valet utrum me an priores doctos viros versum emendasse concedas. Jam

1) Visseringius in quaestionibus Plautinis, Ussingius, Gilbertus (Gesch. u. Topogr. der Stadt Rom III p. 240 Anm. 4), Püttnerus, Zur Chronologie der Plautinischen Komoedie Prog. Gymnas. Ried. 1906 Amphitruonem propter 'emporium' versu 1012 commemoratum post annum 193 actam esse censent, qua de emporii commemoratione scripsit Niejahrius in Commentatione scaenica, quam attuli in pag. 49. Anno 193 Romae primum emporium exstructum esse neque e Livii loco (35,10) licet concludere neque verisimile est propter mercaturam vel antiquissimis temporibus Romae florentem.

Windischmannus hoc versu usus nimia cum temeritate Amphitruonem anno 194 actam esse statuit: '. . . . der Amphitruo wegen des v. 32 im Prolog erwähnten Friedens in Verbindung mit dem blühenden Handel wahrscheinlich 194'. (Zeitschrift für die Altertumswissenschaft 1836 pag. 617). Alio modo hunc versum explicandum esse Dionysius Lambinus Plauti interpres elegantissimus sibi persuaserat: 'Pace' inquit 'hoc est bona vestra venia seu cum vestra gratia', quam interpretationem explanavit Gronovius in lectionibus Plautinis: 'Advenio pace significat per pacem (ut loquitur infra I 1,232 et Festus in Peregrina sacra) et amicitiam advenio; pacatum accessum ut ait Justinus IX 2, facio cum venia, et non contra quam licet', quam sententiam probaverunt Visseringius Ritschelius Ussingius. Sed obstitit Lambino iam Gruterus, cuius verba e Taubmanni commentario exscribo: 'advenio pacatis sive tempore pacis, quo nullum vobis bellum cum hostibus, pacis enim ac belli mentio fere in prologis Plautinis', cui ipse Taubmannus assentitur: 'Lambinus vero hic cum 'bona sua venia' haveat et valeat!' Atque suo iure ita scripsisse mihi videtur. Pax enim est concordia, quae est alicui cum aliquo, atque ita a Plauto semper usurpatur, ut aut finem vel belli vel rixae vel contentionis significet aut condicionem certando bellandoque contrariam, cuius rei notissimae argumenta afferre longum est et inutile mihi videtur. Illa quam protulit Lambinus sententia vel eam ob causam stare non potest, quia versibus superioribus Mercurius de natura sua humana iocatus est, quam causam esse dicit, cur et ipse et pater malum timeant. Hanc esse versuum illorum sententiam et vim ne Lambinum quidem fugit: 'significatur autem histrio qui Iovis partes agit quique Iovis personam sustinet, ut verba illa quae sequuntur declarant: Humana matre natus humano patre. Mirari non est aequom sibi si praetimet.' Plane ineptum igitur esset, si pergeret se 'bona cum venia' advenire atque, ut viri quidam doctissimi voluerunt, veniam ad spectatores adferre, immo expetenda

ei erat venia spectatorum. Atque tam longe repotita est interpretatio illa 'cum bona vestra venia advenio', ut a sermonis Plautini perspicuitate plane aliena sit; neque unquam 'pax' ita in fabulis Plautinis invenitur; in versu illo quem Gronovius adfert 388 pacis nomen non veniam significare sed de bello cogitare poetam facile ex ipso versu et ex proximis cognoscitur:

— Obsecro ut per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulem.
— Immo indutiae parumper fiant, siquid vis loqui.
— Non loquar nisi pace facta, quando puguis plus vales;

idem docet versus 395: 'pacem feci, foedus feci, vera dico . . .'
Accedit quod Gruteri interpretatio non solum eo probatur, quod, ut recte vidit Windischmannus, initium prologi nisi pace et mercatura florente vel efflorescente dici non potuit, sed etiam proximis versibus atque his praecipue:

debetis velle quae velimus: meruimus
et ego et pater de vobis et re publica.
nam quid ego memorem, ut alios in tragoediis
vidi Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam commemorare quae bona
vobis fecissent, quis benefactis meus pater,
deorum regnator, architectust omnibus.

Ladewigio qui commentatione quam inscripsit 'zu den prologen der Plautinischen Komoedien' docuit illos deos deasve in prologis ad res eodem illo quo agerentur fabulae tempore gestas allusisse verisimile esse, assentitur Leo in quaestionum Plautinarum pag. 192 adn. 7: 'Wir haben eine deutliche Spur, dass die römischen Dichter solche Prologe gelegentlich vor ihren Übertragungen attischer Tragoedien auftreten liessen. Dass Amph. 41 ut alios in tragoediis vidi, Neptunum, Virtutem, Victoriam, Martem, Bellonam commemorare quae bona vobis fecissent (Mercurius spricht als prologus) nicht anders zu deuten ist, hat Ladewig in Fleckeisens Jahrbüchern 1869 p. 473 sq.

richtig bemerkt . . . .; nur sind die praetextatae vor 570 zu dünn gesäet, als dass man die Anspielung auf sie beschränken dürfte. Die Stelle dem Plautus abzusprechen liegt aber kein Grund vor.'

Atque accuratius si illos versus inspicimus, facile belli deos commemorari intellegimus uno Neptuno nautarum deo addito. Illa igitur beneficia, quibus populum Romanum se affecisse gloriabantur in prologis illi dii, secundas pugnas atque eas partim navales fuisse nostro iure statuemus. Iam quod bellum Mercurius significet non difficulter discerni mihi videtur, et divinare iam nunc licet, quo fere tempore Amphitruo acta sit: Bellum enim satis atrox et diuturnum per complures annos terra marique feliciter gestum tum pace et deorum, praecipue Iovis, auxilio et virtute populi Romani parta (v. 75) confectum est. Et inquirentes in bella quae Plauti aetate per aliquantum temporis ante ipsam pacem factam secunda fortuna gesta sint, praeter cetera, ne dicam unum in bellum Punicum alterum animum nostrum intendemus. Neque enim bellum cum Philippo Macedonum rege gestum neque bellum Syriacum neque cetera etiam leviora bella Romanorum animos valde excitavisse crediderim, Hannibalicum autem bellum quantopere hominum Romanorum animos occupaverit et excitaverit, multi scriptores antiqui, multi nostrae aetatis viri docti eleganter descripserunt, quo e numero Westii verba ipsa quoque ad Plautinos quosdam versus illustrandos scripta licet afferre: 'So long as it continued it engrossed the Romans more than all other public interests combined. In a prolonged and desperate struggle for national existence other questions sunk out of sight. The history of Rome for these years is hardly anything else than the history of this Second Punic War.'[1])

Accedit quod in Cistellariae quoque prologo Plautus idem illud bellum commemorat:

1) On a patriotic passage in the Miles gloriosus of Plautus. American Journal of Philology VIII, 1887 p. 24.

. . . bene valete et vincite 197
virtute vera, quod fecistis antidhac.
servate vostros socios, veteres et novos,
augete auxilia vostris iustis legibus, 200
perdite perduelles, parite laudem et lauream:
ut vobis victi Poeni poenas sufferant,

quibus subiungere licet aliorum prologorum versus, qui non sine probabilitatis quadam specie ad bellum Hannibalicum respicere putantur:

Asin. v. 15: ut vos †item alias, pariter nunc Mars adiuvet,
Capt. v. 67: . . . valete, iudices iustissumi,
domi duellique duellatores optumi,
Casin. v. 87: tantumst. valete, bene rem gerite et vincite
virtute vera, quod fecistis antidhac.[1])

Etiam versus 73 sqs. Amphitruonis fabulae ad insignem quandam rem anni 201 referri videntur:

'. . . sirempse legem iussit esse Juppiter,
quasi magistratum sibi alterive ambiverit.
virtute dixit vos victores vivere,
non ambitione neque perfidia: qui minus
eadem histrioni sit lex quae summo viro?'

Cum dubitari nequeat quin Plautus illis versibus 75 sq. spectatores, non histriones appellet quippe quos in proscaenio non affuisse ex ipso prologo clarissime eluceat, versus illi plane obscuri sunt et omni sententiarum conexu carent, nisi ambitio et perfidia, quibus vincere summum virum non minus quam histrionem dedecere dicit, aliquo modo cohaerent cum victoria populi Romani virtute parta. Ac dubium mihi esse non videtur, quin Cn. Lentuli consulis perfidiam et ambitionem significet

1) Casinae versus post Cistellariae prologum et bellum Hannibalicum scriptos esse censet Skutschius in Mus. Rhen. vol. 55 (1900) p. 274 Anm. 2.

poeta, quam paucis verbis ea quae Livius memoriae tradidit secutus enarrabo (XXX, 40, 4—15; 43, 1—4).

Karthaginienses cum pugna apud Zamam facta devicti intellexissent se Romanis esse inferiores et pacem ab iis expetendam esse, legatos miserunt ad P. Scipionem et Romam, qui anno ducentesimo primo eo advenerunt. Senatu ad aedem Bellonae habito iis responsum est novos consules senatum iis daturos esse. 'Comitia inde habita, creati consules Cn. Cornelius Lentulus, P. Aelius Paetus.' 'Cn. Lentulus consul cupiditate flagrabat provinciae Africae, seu bellum foret, facilem victoriam, seu iam finiretur, finiti tanti belli a se consule gloriam petens.' 'Negare itaque prius quicquam agi passurum, quam sibi provincia Africa decreta esset, concedente conlega, moderato viro et prudenti, qui gloriae eius certamen, praeterquam quod iniquum esset, etiam impar futurum cernebat.' 'Multis contentionibus et in senatu et ad populum acta res postremo eo deducta est, ut senatui permitterent.' 'patres igitur iurati — ita enim convenerat — censuerunt, uti consules provincias inter se compararent sortirenturve, uter Italiam, uter classem navium quinquaginta haberet; cui classis obvenisset, in Siciliam navigaret; si pax cum Carthaginiensibus componi nequisset, in Africam traiceret; consul mari, Scipio eodem quo adhuc iure imperii terra rem gereret; si condiciones convenirent pacis, tribuni plebis populum rogarent, utrum consulem an P. Scipionem iuberent pacem dare.' Legatis cum senatus datus esset, 'inclinatis omnium ad pacem animis Cn. Lentulus consul, cui classis provincia erat, senatus consulto intercessit. tum M.' Acilius et Quintus Minucius tribuni plebis ad populum tulerunt, vellent iuberentne senatum decernere, ut cum Carthaginiensibus pax fieret; et quem eam pacem dare, quemque ex Africa deportare iuberent. de pace 'uti rogas' omnes tribus iusserunt; pacem dare P. Scipionem, eundem exercitum deportare.' Legati compluribus mensibus post quam advenerunt Carthaginem reverterunt; simul fetiales in Africam missi sunt ad foedus feriundum.

Quamquam Livium saepe errare constat, tamen ea quae de Cn. Lentuli ambitione narrat, non multum puto a re vera discrepare siquidem suo iure Lehmannus censuit[1]) Livium ea quae de rebus bello Punico altero exeunte gestis tradat e fontibus satis certis hausisse, atque quae Livius scripsit confirmari videntur iis quae breviter narrat Zonaras, quem haud spernendos scriptores secutum esse constat (IX, 14, B): 'Τοιούτων δὲ γενομένων τῶν ὁμολογιῶν πρέσβεις οἱ Καρχηδόνιοι ἐπὶ Ῥώμην ἐστάλκασι. καὶ οἱ μὲν ἀπῆλθον, οὐ μέντοι καὶ ἡ γερουσία τὴν πρεσβείαν ἑτοίμως ἐδέξατο, ἀλλ' επὶ πολὺ ἠμφισβήτησαν ἀλλήλοις ἐναντιούμενοι. ὁ δὲ δῆμος τὴν εἰρήνην ὁμοθυμαδὸν ἐψηφίσατο, καὶ τὰς ὁμολογίας ἐδέξαντο, καὶ ἔπεμψαν δέκα ἄνδρας, ἵνα μετὰ τοῦ Σκηπίωνος ἅπαντα διοικήσωσι . . .' Atque Appianus non solum Scipionem duabus de causis suasisse civibus ut pacem facerent, narrat: 'τῇ τε πόλει συμφέρειν ὑπολαβών, καὶ πυθόμενοι Γναῖον Κορνήλιον Λέντλον τὸν ὕπατον ἐφεδρεύειν αὐτοῦ τῇ στρατηγίᾳ, τὴν δόξαν οὐκ ἐθέλων ἑτέρου γενέσθαι,' sed etiam duas orationes memoriae tradidit, quarum alteram cuidam amico Scipionis, alteram Lentulo tribuit. Neque dubitari potest quin aegre tulerit populus Lentuli gloriae cupiditatem. Nam et Scipionem scimus populo dilectissimum fuisse et fessum diuturno bello populum fuisse licet statuere; quod vel ex eo apparet, quod omnes tribus 'ὁμοθυμαδὸν' pacem componendam esse censuerunt. Qua de re recte indicasse mihi videtur Ihne in historiae Romanae vol. II p. 377: 'Die Nachricht von Scipios Sieg bei Zama hatte in Rom grenzenlosen Jubel hervorgerufen. Der Legat L. Veturius Philo musste, nachdem er dem Senate Bericht erstattet hatte, wie einst die Boten mit der Siegesnachricht vom Metaurus, auch auf dem Forum vor dem versammelten Volk die Botschaft wiederholen. Alle Tempel der Stadt wurden für ein dreitägiges Dankfest

1) 'Der letzte Feldzug des hannibalischen Krieges' in Fleckeis. annal. suppl. XXI (1894).

geöffnet. Die Menge hatte sich lange vergebens nach Frieden gesehnt und jetzt kam der Friede mit dem Sieg. Es war vergebens, dass der neue Konsul Cn. Lentulus und eine Fraktion im Senat noch einmal Versuch machte, den Abschluss des Friedens hinauszuschieben. Der Druck der Volkspartei und der Freunde Scipios war zu stark. Das Volk wollte weder sich um die Friedenshoffnungen, noch seinen Liebling Scipio um den Siegesruhm betrogen wissen.' Homines Romanos de fine belli valde gavisos esse testatur Appianus in libri VIII cap. 57: 'Οἱ δὲ πάνυ μὲν ἥδοντο, κεκρατηκότες πόλεως τοσαύτης, ἣ πολλὰ καὶ δεινὰ πρότερον αὐτοὺς ἐδεδράκει, καὶ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς δευτέραν ἢ τρίτην εἶχεν ἡγεμονίαν.' Quae respicientes si Amphitruonem fabulam perlegimus, multos invenimus versus, qui ad illam ipsam pacem et victoriam celebrandas compositi vel a Romano poeta' mutati esse videntur, atque divinamus quanto cum gaudio et quantis cum plausibus clamoribusque spectatores haec exceperint Sosiae verba (185 sqs.)

> quod nunquam opinatus fui neque alius quisquam civium[1])
> sibi eventurum, id contigit, ut salvi poteremur domi:
> victores victis hostibus legiones reveniunt domum
> duello extincto maxumo atque internecatis hostibus.[2])

Neque id nullius momenti mihi esse videtur, quod Livius 'iniquum' dicit Lentuli facinus, cum Plautus in prologo Amphitruonis iniquos illos appellet, qui ius ignorent neque teneant. Haec si comparaverimus, fortasse Livium ex vetustis quibusdam libris annalibus hoc hausisse censebimus.

---

1) Homines Romani fortasse non immemores fuerant cladium, quas priore bello Punico in Africa aut ipsius belli Hannibalici initio in Italia acceperant.

2) Et licuit per leges metricas histrioni pro Thebanis et Amphitruone Romanorum et Scipionis nominibus substitutis pergere:

> quod multa Romano poplo acerba obiecit funera,
> id vi et virtute militum victum atque expugnatum oppidumst,
> imperio atque auspicio eri mei Scipionis maxume.

Dixerit quispiam Lentuli facinus non magistratus ambitionem fuisse; sed non omittendum est Plautum ita verba sua debuisse instituere, ut et ad histriones et ad summum illum virum referri possent. Atque ambitionis vocem hoc loco non magistratus ambitum, sed flagitiosam gloriae cupiditatem significare vel ex eo apparere videtur, quod ad universum populum spectans dicit Mercurius:

> virtute dixit vos victores vivere,
> non ambitione neque perfidia . . .

Quomodo enim poterat Mercurius spectatores monere eos non magistratus ambitu, sed virtute esse victores, quorum e numero pauci pro hominum ignobilium multitudine magistratum petere in animis habuissent haberentve. Optime autem versuum sententia stat, si ambitionis et perfidiae nominibus Mercurium vitia significare censemus, a quibus totus populus et cavere debuerit et caverit. Quod in superiore versu 'quasi magistratum sibi alterive ambiverit' magistratum dicit, fortasse ea de causa fecit Plautus, ne si apertius consulem eluderet, idem pateretur, quod quinque annis ante Naevius passus erat.

Cum igitur Amphitruonem paulo post pacem cum Carthaginiensibus factam, i. e. anno ducentesimo primo, actam esse probabile sit, versus illius fabulae 79 et 80:

> sat habet favitorum semper qui recte facit,
> si illis fides est, quibus est ea res in manu,

ansam praebere videntur non solum ad annum, quem constitui, comprobandum, sed etiam ad ludos, quibus Amphitruo acta sit, definiendos. Atque aediles versu illo octogesimo significari recte iam Lambinus vidit: 'Satis habet fautorum qui recte facit, si modo in illis fides est, penes quos est eius rei potestas, id est si fidi sunt seu si fidem colunt ac servant ii, qui sunt iudices et arbitri, ut hic aediles, qui iurarunt se actori optimo victoriam adiudicaturos', quae interpretatio probatur Poenuli versu 52:

sed nisi molestumst, nomen dare vobis volo
comoediai: sin odiost, dicam tamen,
siquidem licebit per illos quibus est in manu,

quod non fugit Palmerum, qui de altera quoque interpretatione se cogitavisse fatetur: 'The limitation of the general maxim of the previous verse is awkward, and I used to think the meaning of the verse was 'if we may trust those who make that subject their concern' i. e. 'virtue is its own reward if we may trust the philosophers and moralists'.

Quantum leporis versui illi insit illustratur Livii loco qui est in libri XXX cap. 39: 'ab L. Licinio Lucullo et Q. Fulvio aedilibus curulibus ludi Romani ter toti iustaurati. pecuniam ex aerario scribae viatoresque aedilicii clam egessisse per indicem comperti damnatique sunt, non sine infamia Luculli aedilis'. Eleganter et facete hunc anni 202 aedilem curulem eludit Plautus: 'si illis fides est quibus est ea res in manu', neque versus 72 'sive adeo aediles perfidiose quoi duint' maledico sensu carere videtur.

Accedit quod anno ducentesimo primo ludos scaenicos Romanos eximio cum apparatu factos esse Livius memoriae prodidit in libri XXXI capite quarto: 'Ludi Romani scaenici eo anno magnifice apparateque facti ab aedilibus curulibus L. Valerio Flacco et L. Quinctio Flaminino'. Non dubium esse videtur quin ludi illi scaenici magnifice facti sint propter bellum feliciter confectum, atque optime haec quadrant ad Amphitruonem fabulam. Quantopere ab aliis fabulis argumento haec differret fabula, viros doctos nunquam fugit; Amphitruonis fabulae personae non sunt 'iratus senex, edax parasitus, sycophanta aut impudens, avarus leno', sed Amphitruo imperator, Alcumena Herculis mater, Mercurius, caeli regnator Juppiter. Neque argumento solum ex historia fabulari hausto, sed etiam apparatu singulari et Romanis tum sine dubio in comoedia non spectato et inusitato haec fabula a reliquis differt, nam et aedes Amphitruonis tam artificiose sunt ex-

structae ut Mercurio in tectum liceat ascendere, et Alcumenae Amphitruonis Jovis ornamenta praeter consuetudinem sumptuosa et magnifica fuisse nobis licet contendere, siquidem et comoediarum mythologicarum histriones magnifico tragoediae et satyricorum dramatum apparatu exornatos esse et Romanos cum fabula ornamenta quoque a Graecis petivisse verisimile est, sicut ceterarum fabularum et Plauti et Terentii actores graeco vestitu indutos in scaenam prodiisse constat. Eo quoque 'Amphitruo' a ceteris illius aetatis fabulis differt, quod primam scaenam ante solem orientem agi apparet e versibus 163—165:

haec eri inmodestia coegit me, qui hoc noctis a portu
ingratiis excitavit:
nonne idem hoc luci me mittere potuit?

Atque lanternam gerere Sosiam cognoscimus e versu 341:

quo ambulas tu, qui Volcanum in cornu conclusum geris?

Argumenta haudquaquam futilia cum mihi videar attulisse, e quibus Amphitruonem ludis scaenicis Romanis anno ducentesimo primo a. Chr. n. factis actam esse appareat, subiungere iis liceat argumentum sine dubio minus potens, sed fortasse non inutile ad sententiam quam protuli comprobandam. Cum enim identidem Plautum ad res spectatoribus notissimas facete alludere me cognovisse putarem, facere non poteram, quin in pugnae illa insigni et clarissima descriptione poetam Sarsinatem eam pugnam ob oculos habuisse censerem, cuius memoria tum apud omnes spectatores vigebat: pugnam apud Zamam factam dico. Iam Langenus haec in Studiorum Plautinorum pag. 92 scripsit: 'Übrigens macht die Schilderung ganz den Eindruck, als wenn sie zum grossen Teil dem kriegerischen Geist des Römers ihren Ursprung verdankte: Schuster quomodo Plautus Attica exemplaria transtulerit p. 10 meint freilich, die ganze Erzählung von 202 bis 261 sei genau aus dem Griechischen übertragen, das soll der

Ausdruck velatis manibus orant V. 257 beweisen, auf alle Fälle ein höchst wunderlicher Beweis! Schusteri sententiae Hueffnerus in quaestionibus de Plauti comoediarum exemplis atticis maxime chronologicis (p. 71 sq.) et Siewertus in commentatione quam inscripsit: 'Plautus in Amphitruone fabula quomodo exemplar graecum transtulerit' (p. 75) assentiuntur, uterque Wilamowitzium secutus, qui in Heraklis volumine altero (1889. pag. 242) scripsit haec: 'Das original des plautinischen stückes hatte zwar die details frei umgestaltet, und gerade die schlacht wird mit grosser anschaulichkeit so erzählt, dass sie eine feldschlacht der Diadochenzeit wird, welche nach Alexanders vorbild ein cavallerieangriff auf dem rechten flügel unter persönlicher führung Amphitryons entscheidet (wodurch für das stück ein terminus post quem gegeben ist)'. Quamquam recte vir ille praestantissimus observavit diadochorum tempore proelia equitum impetu profligata esse, tamen eo pugnae illius aetatis differunt a pugna in Amphitruone descripta, quod Sosia tum demum equites impetum fecisse dicit, cum pedites iam acerrime manus conserere coepissent; diadochorum autem tempore initia proeliorum capi solebant ab equitum, non a peditum concursu; pedites aut omnino non pugnabant aut tum demum hostes aggrediebantur, cum equites aut victoriam peperissent aut hostium aciem turbassent, velut Bauerus in libro de re militari Graecorum scripto haec exponit (p. 453): 'Die im Zentrum aufgestellte Phalanx des schwergerüsteten Fussvolkes wartet mit aufrecht gehaltenen Sarisen den Ausgang des Kampfes auf den Flügeln ab und greift erst ein, wenn dort eine Entscheidung getroffen ist; sie spielt also bis dahin wesentlich die Rolle einer Reserve. Auf den Flügeln stehen die schwere und leichte Reiterei und leichtes Fussvolk, die den Kampf eröffnen. Die Reiter eines Flügels . . . sind zur Offensive bestimmt, während die des andern zurückgehalten werden . . . Das Fussvolk im Zentrum setzt erst dann zum geschlossenen Angriff ein, wenn die Flügel gesiegt haben . . .' Idem censet Droysenus:

'In der Schlacht selbst handelten die drei Bestandteile (duo equitum cornua et peditum aciem dicit) ohne jeden Zusammenhang; die Entscheidung lag auf den Flügeln, bei der Reiterei und bei den Elefanten; von einem Kämpfen des Fussvolks war höchstens bei den Argyraspiden die Rede, aber da auch nur ganz auf eigene Hand; das „übrige Fussvolk war da und riss aus, wenn die Reiterei es ihm vormachte.“ [1])

Plautum aliquantum ab exemplari recessisse cum vel ex illa differentia apparere videatur, etiam clarius elucet ex eo, quod Sosiam hostes acie devictos 'se, divina humanaque omnia, urbem et liberos' (v. 258) dedidisse narrantem facit poeta, aliis autem fabulae locis urbem vi captam esse dicit. Neque illos paucos versus premo, quibus expugnata urbs Teleboarum commemoratur, velut in versu 191:

> id vi et virtute militum victum atque expugnatum oppidumst,

in versu 210:

> sese igitur summa vi virisque eorum oppidum oppugnassere,

quia victoria militum virtute parta oppidum captum est; sed maxime illi descriptioni contrarii sunt versus 599 sq.

> ordine omne, ut⟨i⟩ quicque actumst, dum apud hostis sedimus, edissertavit:

nam illud 'sedimus' multo facilius refertur ad oppidum post diuturnam obsidionem expugnatum, et versus 412 sqs.

> . . noctu hac solutast navis nostra e portu Persico,
> et ubi Pterela rex regnavit oppidum expugnavimus,
> et legiones Teleboarum vi pugnando cepimus,
> et ipsus Amphitruo optruncavit regem Pterelam in proelio,

---

1) Hermann, Griech. Antiquitäten II2 pag. 141.

qui cum iis quae Sosia narrat multo melius congruerent, si versuum 414, 415 et 413 inversus ordo esset, et versus 745 sq.

. . . quippe qui ex te audivi, ut urbem maxumam
expugnavisses regemque Pterelam tute occideris.

Tamen fortasse versuum illorum et pugnae descriptionis discrepantias non ita liceret premere, nisi ipsi illi quos modo attuli versus optime congruerent cum iis quae de Amphitruonis bello contra Teleboas gesto graeci scriptores tradiderunt, velut Apollodorus in Bibliothecae libro altero (ed. Wagner Lips. 1894; II, 59 et 60, pag. 68): ''Ἀμφιτρύων δὲ . . . . τὰς τῶν Ταφίων νήσους ἐπόρθει. ἄχρι μὲν οὖν ἔζη Πτερέλαος, οὐκ ἐδύνατο τὴν Τάφον ἑλεῖν· ὡς δὲ ἡ Πτερελάου θυγάτηρ Κομαιθὼ ἐρασθεῖσα Ἀμφιτρύωνος τὴν χρυσῆν τρίχα τοῦ πατρὸς ἐκ τῆς κεφαλῆς ἐξείλετο, Πτερελάου τελευτήσαντος ἐχειρώσατο τὰς νήσους ἁπάσας. τὴν μὲν οὖν Κομαιθὼ κτείνει Ἀμφιτρύων καὶ τὴν λείαν ἔχων εἰς Θήβας ἔπλει . . .' Simile quiddam narravisse videtur Pherecydes (schol. Iliadis XIV 323 ed. Dindorf Oxford. IV p. 63): '. . . κατηγωνίσατο αὐτοὺς ⟨sc. Teleboas⟩ Ἀμφιτρύων προσλαβόμενος συμμάχους Βοιωτοὺς καὶ Λοκρούς, ἔτι δὲ καὶ Φωκεῖς, ἐνιαυτὸν προσεδρεύσας. In Hercule Euripidis ita alloquitur Megara Amphitruonem socerum (60 sqs.):

ὦ πρέσβυ Ταφίων ὅς ποτ᾽ ἐξεῖλες πόλιν
στρατηλατήσας κλεινὰ Καδμείων δορός,
ὡς οὐδὲν ἀνθρώποισι τῶν θεῶν σαφές.

In contrariam partem non licet premere 'Amphitruonis' versum 657, ubi Amphitruo dicit se uxori exoptatum advenire praesertim re bene gesta et hostibus victis:

eos auspicio meo atque ductu primo coetu vicimus,

quem versum ad Sosiae verba melius quam ad graecorum scriptorum aptum mutatum esse a poeta Romano facile credemus, quia ab Amphitruone profertur, cuius sub persona Scipionem celebrari verisimile esse supra (p. 32) indicavi. Neque iis quae

attuli testimoniis contrarium esse videtur scholion Odysseae (ed. Dindorf Oxford. 1855 p. 143. 17): τότε δὴ καὶ τὸν ἐννεατηρικὸν τῶν Πυθίων ἀγῶνα ἀγωνοθετεῖ Κρέων, ἐνίκα δὲ Δημόδοκος τοῦ Μυκηναίου, ὃς ἦν πρῶτος δι᾽ ἐπῶν γράψας τὴν Ἀμφιτρύωνος πρὸς Τηλεβόας μάχην . . . quod fortasse de oppugnatione quoque carmine celebrata dici potuit, ut idem fere significaret atque τειχομαχία.

Contemptim praeterea Sosia videtur loqui de 'hostibus nimis pulchris armis praeditis', quae verba apte mihi videor poetae Sarsinati tribuere, nam Graecos homines armorum splendore valde delectari solitos esse satis constat, velut Xenophon, ubi milites inspectos esse narrat, addit fere, quam pulchrum praebuerint adspectum, velut in Anabas. I 2, 16: εἶχον δὲ πάντες κράνη χαλκᾶ καὶ χιτῶνας φοινικοῦς καὶ κνημῖδας καὶ τὰς ἀσπίδας ἐκκεκαλυμμένας; ib. 18: 'ἡ δὲ Κίλισσα ἰδοῦσα τὴν λαμπρότητα καὶ τὴν τάξιν τοῦ στρατεύματος ἐθαύμασε.' Ille idem scriptor in libro altero (c. III 2 Sauppe pag. 37) Clearchum dicit exercitum constituisse, ὥστε καλῶς ἔχειν ὁρᾶσθαι πάντῃ φάλαγγα πυκνήν, τῶν δὲ ἀόπλων μηδένα καταφανῆ εἶναι. Atque Xenophon ipse ante pugnam pulcherrime exornatus prodit ut oratione milites exhortetur (III 2, 7 Sauppe p. 60): ''Ἐκ τούτου Ξενοφῶν ἀνίσταται ἐσταλμένος ἐπὶ πόλεμον ὡς ἐδύνατο κάλλιστα, νομίζων, εἴτε νίκην διδοῖεν οἱ θεοί, τὸν κάλλιστον κόσμον τῷ νικᾶν πρέπειν, εἴτε τελευτᾶν δέοι, ὀρθῶς ἔχειν τῶν καλλίστων ἑαυτὸν ἀξιώσαντα ἐν τούτοις τῆς τελευτῆς τυγχάνειν.'

Etiam versus 221:

'nos nostras more nostro et modo instruximus
legiones',

aptius Plauto quam graeco poetae tribui mihi videtur, nam Romanos de suo more militum instruendorum gloriari solitos esse scimus, Graecos nescimus. Atque Scipio quamquam pristinum ordinem paululum mutasse dicitur, 'non enim confertas cohortes ante sua quamque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spatium, qua elephanti

hostium acti nihil ordinis turbarent' (Liv. 30, 33), tamen id, quo Romanorum ordo inter aliorum populorum acies instructas excellebat, tenuit, ut milites reversos Romanum ordinem Carthaginiensi superiorem fuisse gloriatos esse facile crediderim.

Cum igitur eorum quae in graeco exemplari de pugna narrabantur magnam partem Plautum mutavisse verisimile sit, non iam temere illam descriptionem cum iis, quae de pugna apud Zamam facta historiae belli Hannibalici scriptores memoriae tradiderunt comparare mihi videor.

Neque ea quae ipsam pugnam antecedunt aliena sunt ab iis, quae Polybius Livius Appianus memoriae prodiderunt. Recte Lehmannus[1]) exposuit Scipionis plurimum interfuisse bellum componi et pacem cum Carthaginiensibus fieri; Carthaginienses autem cum, priusquam Hannibal adveniret, pacem desideravissent, ubi dux ille egregius ad Africae oram naves appulit, superbia elati 'οὐ μικρὰς ἀλλὰ μεγάλας εἶχον ἐλπίδας νικήσειν διὰ τῶν περὶ τὸν Ἀννίβαν' (Pol. XV 2, 3), atque legatos propter commeatum direptum missos indigne a Poenis tractatos esse narrant Livius et Polybius, quibuscum non male coeunt quae Sosia pronuntiat:

principio ut illo advenimus, ubi primum terram tetigimus, 204
continuo Amphitruo delegit viros primorum principes.
eos legat: Telobois iubet sententiam ut dicant suam 206
Haec ubi Telobois ordine iterarunt quos praefecerat 211
Amphitruo, magnanimi viri freti virtute et viribus
superbi nimis ferociter legatos nostros increpant,
respondent bello se et suos tutari posse 214

Omnes qui belli Punici alterius res tractaverunt scriptores Hannibalem et Scipionem ante pugnam inter se collocutos esse memoriae tradiderunt. Non sine probabilitatis specie viri docti hanc rem a scriptoribus Romanis fictam esse censere sibi visi unt, quin etiam Ihnius in historiae Romanae vol. II p. 370

1) l. s. pag. 542 sqs.

adnot. 457 huius fabulae auctorem Ennium esse sibi persuasit: 'Die Erzählung von der Zusammenkunft der beiden Führer ist wahrscheinlich nichts als eine der müssigen Erfindungen, woran die Geschichte des punischen Krieges seit Scipios Auftreten so reich ist. Sie ist nicht den Annalen jener Zeit, sondern poetischen und rhetorischen Bearbeitungen entlehnt. Hätten wir mehr aus Ennius Gedichten, als wenige Fragmente, die der veralteten Sprachformen wegen von den spätern Grammatikern notiert wurden, so würde sich gewiss ein grosser Teil dieser Erfindungen auf ihn zurückführen lassen. Sie scheinen grossenteils ihren Ursprung dem scipionischen Familien- und Freundeskreise zu verdanken, und waren zum Teil schon ausgebildet, als Polybius in diesem Kreise seine Erkundigungen über den hannibalischen Krieg einzog.' Assentitur ei Lehmannus[1]), qui Vahlenum secutus tres Ennianos versus ad hanc ipsam rem referendos esse censet. Haud fortuito accidisse mihi videtur quod eandem rem Plautus in Amphitruone fecit Sosiam proferentem:

deinde utrique imperatores in medium exeunt,
extra turbam ordinum colloquontur simul.
convenit, victi utri sint eo proelio,
urbem, agrum, aras, focos seque uti dederent,

quibus versibus et mea sententia probari et Ihnii Lehmannique sententia partim improbari, partim probari videtur, recte enim illud Scipionis et Hannibalis colloquium iam ab Ennio esse celebratum scripsisse videntur, fontem autem huius rei non Ennium esse crediderim, sed ipso eodem tempore et fama victoriae illius partae et colloquii fama ad homines Romanos lata esse videtur, ut haud sciam, utrum illam rem Scipionis celebrandi causa[2]) fictam an colloquium re vera habitum esse

1) l. c. pag. 569.
2) Lehmannus l. c. p. 569 recte scribit: 'Wie nicht zu verkennen, war ihr Zweck Verherrlichung des Scipio'.

credam. Plautum autem illam rem e suorum aequalium communi opinione commemoravisse eo probari videtur, quod illa de Hannibalis et Scipionis certamine narratio inepta, quam ab Appiano et Cassiano relatam plane fictam esse recte Koehnius[1]) assensus est Gilberto[2]), ei ignota fuisse videtur; quamvis facile talis certaminis descriptionem inserere potuerit, obiter tantum Pterelam ab Amphitruone interfectum esse commemorat versu 252:

'ipsusque Amphitruo regem Pterelam sua
obtruncavit manu',

sine dubio graecum poetam secutus, qui hoc certamen planius descripsisse mihi videtur; dicit enim Theocritus in idyll. XIV (Bucol. Gr. ed. H. L. Ahrens² Lips. 1904 pag. 69, v. 1—5):

Ἡρακλέα δεκάμηνον ἐόντα τόχ' ἁ Μιδεᾶτις
Ἀλκμήνα καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἰφικλῆα,
ἀμφοτέρους λούσασα καὶ ἐμπλήσασα γάλακτος,
χαλκείαν κατέθηκεν ἐς ἀσπίδα, τὰν Πτερελάου
Ἀμφιτρύων καλὸν ὅπλον ἀπεσκύλευσε πεσόντος.

Iam ipsam pugnam apud Zamam factam et descriptionem Plautinam inter se comparemus. Quae minus gravia Polybius et Livius narrant meo iure mittere mihi videor, quibus magnam fidem tribuendam non esse vel per se liquet et rectissime Lehmannus multis commentationis quam identidem attuli locis evicit, sed ordinem solum rerum et eventum pugnae cum Sosiae descriptione comparabo.

Ipso pugnae initio Masinissa, qui in dextro cornu erat, Carthagínienses equites elephantis, qui clamore perterriti in suos se verterant, perturbatos fudisse et fugavisse videtur; simul Laelius equites hostium oppositos devicit et persequi coepit. Minus facile peditibus Romanis contigit ut hostes superarent; atrocissima exorta est pugna, utrimque ingentem clamorem,

1) De pugna ad Zamam commissa. Diss. Halensis pag. 26 (1888).
2) Gött. gelehrt. Anzeig. 1875 p. 324.

dissonum a Poenis, sublatum esse Livius et Polybius testantur.[1]) Idem narrat Sosia (228):

consonat terra: clamorem utrimque efferunt.

Tam atrox fuit proelium, ut 'magna strages hominum armorumque locum, in quo steterant paulo ante auxiliares', compleret, et 'prope difficilior transitus esset, quam per confertos hostes fuerat'. 'itaque', ut ait Livius, 'qui primi erant, hastati per cumulos corporum armorumque et tabem sanguinis, qua quisque poterat, sequentes hostem et signa et ordines confuderunt.' Non plane dissimilia sunt quae narrat Sosia (231—234):

pro se quisque id quod quisque ⟨et⟩ potest et valet
edit, ferro ferit: tela frangunt: boat
caelum fremitu virum: ex spiritu atque anhelitu
nebula constat: cadunt +volneris vi et virium.

Sed et numero superiorem fuisse Romanum et animo narrat Livius, quod iam equites, iam elephantos fudisset, iam prima acie pulsa in secundum pugnaret. Simile est in Amphitruone (235 sq.)

denique ut voluimus, nostra superat manus:
hostes crebri cadunt: nostri contra ingruont.
vicimus vi feroces.

Poeni autem fortissime resistebant et dubius ad illud tempus erat pugnae eventus, cum 'in tempore Laelius ac Masinissa, pulsos per aliquantum spatii secuti equites, revertentes in aversam hostium aciem incurrere. is demum impetus perculit hostem'. Quacum re comparo Plauti verba (238—247):

1) Recte scripsisse videtur Lehmannus l. c. p. 582: 'Das Charakteristische ist . . nicht sowohl die Spracheinheit auf der einen und die Sprachvielheit auf der andern Seite, als vielmehr der einexerzierte harmonische Zusammenklang des Feldgeschreis der römischen Schwerbewaffneten gegenüber der wirren Vielheit der Stimmen bei den feindlichen Schützen'.

sed †fugam in se tamen nemo convortitur
nec recedit loco quin statim rem gerat:
animam omittunt prius quam loco demigrent:
quisque ut steterat iacet optinetque ordinem.
hoc ubi Amphitruo erus conspicatus est,
ilico equites iubet dextera inducere.
equites parent citi, ab dextera maxumo
cum clamore involant, impetu alacri:
foedant et proterunt hostium copias
iure iniustas.

Sed quamvis similes sint res a Livio et Plauto narratae, non licet negare etiam discrepantias inveniri. Atque primum eo dissentiunt, quod Livius Hannibalem et Scipionem infecta re e colloquio narrat discessisse, Plautus inter Amphitruonem et Pterelam convenisse, 'victi utri sint eo proelio, urbem, agrum, aras, focos seque uti dederent', quam rem admodum levem premere non licet, nam si Plautus sibi proposuit, ut victoriam a Scipione partam hoc cantico celebraret, ea ut omitteret atque mutaret sibi permisit, quae minus apta essent ad ducem celebrandum; nam eo admirabilior ille esse debebat, quo audacius se victum se ipsum et sua omnia dediturum esse pollicitus erat, et ipsius pugnae descriptio eo magis debebat spectatorum animos permovere et excitare, quo magis egregium praemium victori erat propositum, quo gravior sors victo. Deinde eo discrepant Polybius, Livius et Plautus, quod illi casu quodam felici factum esse tradiderunt, ut in tempore equites in hostes invaderent, poeta autem Sarsinas ducis iussu eos hostes oppressisse et in fugam vertisse narrat. Neque hac e discrepantia licet concludere Plautum pugnae descriptionem non ad pugnae apud Zamam factae exemplum composuisse, sed ex exemplari graeco hausisse, nam et aliis militibus alium pugnae ordinem visum esse verisimile est, quod nostrae quoque aetatis exemplis probatur, et facile potuit accidere, ut milites vel cives Scipioni tribuerent, quod fortunae secundae tribuere debebant.

Summa enim cum pietate milites civesque Scipionem colebant et vivum eum non minus civibus summae admirationi fuisse constat quam postea Polybio et Livio et multis aliis scriptoribus, qui summis laudibus eum extulerunt. Praeterea recte Lehmannus (l. c. p. 590sq.) scripsit, plurimum interfuisse Laelii et Masinissae, qui temere et Scipionis iniussu equitatum hostium persecuti peditum aciem in summum periculum adduxissent, hoc crimine se purgari, quod nescio quo aptiore modo potuerint instituere quam ita ut dicerent se, si non iussos, certe non invito duce et ex eius consilio equitatu hostium fugato Poenos a tergis aggredi se putavisse. Quodsi Plautus aut consulto aut inscius hac in re a vero recessit, alterum facile fieri potuisse, alterum vitio vertendum non esse concedemus memores eorum quae recte et eleganter dixit Delbrückius[1]: 'Legende und Poesie malen darum noch nicht falsch, weil sie mit anderen Farben malen als die Historie. Sie reden nur eine andere Sprache, und es handelt sich darum, aus dieser richtig ins Historische zu übersetzen'.

Postremum Plautus versibus 256 sqs. ad rem Romanis hominibus notissimam adlusisse videtur; tradidit enim Livius in libri XXX capite tricesimo sexto haec: '⟨Scipio⟩ ad suam veterem nova Lentuli classe adiuncta profectus ab Utica portum Carthaginis petit. Haud procul aberat, cum velata infulis ramisque oleae Carthaginiensium occurrit navis. decem legati erant principes civitatis, auctore Hannibale missi ad petendam pacem, qui cum ad puppim praetoriae navis accessissent velamenta supplicum porrigentes, orantes implorantesque fidem ac misericordiam Scipionis, nullum iis aliud responsum datum, quam ut Tynetem venirent . . . .' Simillimam rem narrat Plautus (256—259):

1) Geschichte der Kriegskunst im Rahmen der politischen Geschichte. I Berlin 1900, p. 348.

postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes,
velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suom:
deduntque se, divina humanaque omnia, urbem et liberos
in dicionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.[1])

Satis iam mihi videor docuisse passim spectatores de rebus notissimis, de pugna illa modo facta atrocissima admonitos esse, et me nescire fateor, utrum audaciam magis admirer Plauti Lentulum et Lucullum in scaena eludentis an elegantiam, qua versus illos intexuit ac pugnae descriptionem qualis erat in exemplari mutavit; neque minus eleganter hanc ipsam de magno Graecarum fabularum numero elegisse mihi videtur Plautus argumento et ornamento dignam, qua victoriam illam splendidissimam, pacem post tantum bellum, tot labores restitutam celebraret. Neque fugit viros doctos hanc fabulam praeter ceteras Romanum colorem prae se ferre, cuius rei causam me exposuisse illos concessuros esse spero; quantopere autem hac ipsa re praeter ceteras insignis sit, elegantissime exposuit Palmerus in editionis praefatione, cuius verba, quia pulchrius aut aptius dicere nequeo, affero: 'We would gladly, if we dared, suppose the play to be an original conception,

1) Hos versus propter verba 'velatis manibus orant' Schusterus in Diss. 'quomodo Plautus Attica exemplaria transtulerit' (Gryphisw. 1884 p. 10) e graeco exemplari haustos esse censet Livii usus testimonio (XXIX 16, 6): 'decem legati Locrensium, obsiti squalore et sordibus, in comitio sedentibus consulibus velamenta supplicum, ramos oleae, ut Graecis mos est, porgentes, ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt'. Sed aptius illud 'ut Graecis mos est' ad 'ramos oleae' solum, non ad velamenta supplicum referri mihi videtur, quae iam anno 212 Romanis nota fuisse apparet ex eo, quod idem ille scriptor in libri XXV cap. 25 legatos cum infulis et velamentis precantes ad Marcellum venisse narrat, et in Fidei deae cultu iam Numae aetate ea adhibita esse scribit in libri primi capite 21: 'et [soli] Fidei sollemne instituit ad id sacrarium flamines bigis curru arcuato vehi iussit manuque ad digitos usque involuta rem divinam facere, significantes fidem tutandam sedemque eius etiam in dexteris sacratam esse'.

but such a supposition is, of course, impossible. But though not original, the play is the most original of all the plays of Plautus. A Roman tone pervades it. In reading the account given by Sosia of the campaign against the Teleboae, we feel as if Plautus had versified a page of some old Latin Annalist. The ultimatum of Amphitruo, with its demand for restitution, and threat in case of refusal, the pitched battle, and crushing defeat of the enemy: the slaying of the commander-in-chief of the enemy by Amphitruo with his own hand, these particulars are all in proper Livian style. Then Alcumena herself is a true Roman wife, fulfilling the Roman conception of an equal consort with great dignity and perfection. Indeed the Amphitruo must have been, when entire, one of the best plays written by Plautus'.

III. De Amphitruonis Plautinae scaenis quae perierunt.

De Amphitruonis Plautinae scaenis quae non supersunt quamquam iam complures viri doctissimi et sagacitate non minus quam diligentia praestantes scripserunt, tamen iis quae illi exposuerunt pauca habeo quae addam. Atque mittere licet novissimi Itali M. Acci Plauti (sic!) fabularum editoris commenta, qui fragmentis quinto et sexto (numeri sunt editionum Teubnerianarum):

'quid minitabas te facturum, si istas pepulissem fores?'
'ibi scrobes effodito plus sexagenos in dies'

Amphitruonem putat Mercurium, non Sosiam, appellavisse, quod incredibile est propter scaenarum compositionem, invicem enim Mercurius et Sosia in scaenam prodeunt, et propter poetae consilium, qui Sosiam poenas dare voluit pro iis, quae Mercurius peccavisset, et propter ipsius Mercurii verba (1002):

'deinde illi actutum sufferet suos servos poenas Sosia.'

De fragmentis, cum iam Hoffmannus in commentatione de Plautinae Amphitruonis exemplari et fragmentis (diss. Vratislav. 1848) diligenter ea tractavisset et cui scaenae quidque tribuendum esset definire feliciter studuisset, uno anno 1879 duo viri doctissimi scripserunt, Samuel Brandt in musei Rhenani volumine XXXIV (p. 575—592) et Johannes Schroeder dissertatione de fragmentis Amphitruonis Plautinae scripta, quae nunc est in Guilelmi Studemundi Studiorum in priscos scriptores

Latinos collatorum volumine altero, qui viri doctissimi ea re non levi dissentiunt, quod Brandtius actuum si fas est dicere tertii et quarti interstitium esse putat post scaenam illam inter Amphitruonem et Mercurium, cuius initium exstat, Schroederus autem unius quarti actus scaenas intercidisse censet. Atque nititur Brandtius versibus 978 sq.:

fac Amphitruonem advenientem ab aedibus
ut abigas: quovis pacto fac commentus sis,

et versibus 1000 sq.: . . . inde optume aspellam virum,
de supero quom huc accesserit.

Censet enim ille ex his versibus apparere Amphitruonem a Mercurio de scaena pulsum esse ac decessisse. Sed versus singulos si accurate inspicimus, nihil aliud ex iis certo apparet nisi fore ut Amphitruo prohibeatur ab aedibus, (cfr. v. 1008 'dein susum escendam in tectum, ut illum hinc prohibeam'), quo accedit quod Mercurius gloriosi quandam hominis speciem prae se fert et ita se gerit ut 'servoli in comoediis' fere solent, velut supra Sosiae ut terrorem iniceret gloriatus est de rebus magnis quas se gessisse fingit, et quamquam versu 264 gloriose praedixit se Sosiam hoc die ad aedes nunquam admissurum esse, tamen paucis scaenis post Sosia nullo prohibente Amphitruonis aedes intrat, paulo post exit. Actum autem quartum a verbis Amphitruonis initium cepisse eam ob rem probabile est, quia singulis actibus invicem Amphitruo et Iuppiter introducuntur, in primo Iuppiter, in altero Amphitruo, in tertio Iuppiter, in quarto Amphitruo, neque aliter Menaechmorum fabula instituta est: introducitur in actu primo Menaechmus I, in altero Men. II, in tertio Men. I, in quarto Men. II[1]).

Cum igitur unius actus scaenas periisse verisimile sit,

1) cfr. Goldbacher 'Über die symmetrische Verteilung des Stoffes in den Menaechmen des Plautus' in Festschrift J. Vahlen, Berlin 1900 p. 205 sq.

iam facilius quomodo scaenae illae inter se exceperint discernemus. Atque hic est ordo scaenarum ab Hoffmanno (p. 68) constitutus:

1) 'scaena inter Amphitruonem et Mercurium tetr. troch. cat. conscripta, quae detruncatam sc. 2. act. IV. expleret;'
2) 'scaena inter Amphitruonem et Alcmenam senar. iamb. composita;'
3) 'scaena inter Amphitruonem, Sosiam et Blepharonem, tetr. troch. cat. decurrens, quam Amphitruonis monologus eodem metro scriptus antecessisse videtur;'
4) 'scaena item trochaica et ab Amphitruone, Sosia, Blepharone et Iove acta, quae initium faceret scaenae ἀκεφάλου act. IV. extremae.'

De prima et quarta scaena vix dubitari posse mihi videtur; fragmenta VIII—X e scaena quae est inter Iovem Amphitruonem Blepharonem hausta esse clarissime apparere videtur e fragmento IX 'manufestum hunc obtorto collo teneo furem flagiti', quod iam Brandtius vidit referendum esse ad versum 953:

'ego Amphitruonem collo hinc obstricto traham.'

'Obstricto' autem vel 'obtorto collo trahere' est locutio in re iudiciali usurpata, quod elucet multis locis Plautinis velut Poenul. 789, Rud. 852, 866, Curcul. 690; qua de causa ex illa scaena fragmentum haustum esse pro certo licet statuere, in qua Amphitruo Blepharonem orat, ut advocatus sibi sit.

Ab Hoffmanno dissentit Ussingius, qui scaenam quam supra indicavi tertiam ante priorem, quae est inter Amphitruonem et Alcmenam, actam esse censet argumento ille quidem non allato (p. 332.); Hoffmannum sequitur Schroederus (pag. 6), qui Alcumenam prodiisse putat 'post Mercurii abitum, priusquam Sosia cum Blepharone adveniret', non 'Sosia fugato, priusquam Iuppiter prodiret.' 'Illo tempore' inquit 'quam hoc Alcmenam cum coniuge collocutam esse eo facilius tibi persuadebis, quod aliter vix intellegitur, quid per eiusmodi scaenae

spatium Blepharo acturus fuerit.' Non magis intellegeretur, quid acturi fuissent Mercurius in scaena tertia actus primi vel Sosia in scaena altera actus alterius, si illae scaenae servatae non essent. Atque suo iure Brandtius, qui Ussingio assentitur, scripsit (p. 578) 'actutum' illud versus 1002: 'deinde ille actutum sufferet suos servos poenas Sosia' non esse neglegendum, et verisimile mihi videtur, si scaena quae est inter Amphitruonem et Alcmenam, alteram quae est inter Amphitruonem et Sosiam antecessisset, Mercurium qua est loquacitate de illa quoque scaena verba facturum fuisse. Recte praeterea Brandtius (p. 578) haec exposuit: '. . gegen Hoffmanns Annahme spricht das Interesse eines einfachen und klaren Fortschritts der Handlung, eine Rücksicht, die ganz ausser Acht gelassen würde, wenn man Amphitruo, der jetzt voll Wut über den vermeintlichen Sosia ist, gleichwohl zuerst den heftigen Auftritt mit Alcmene in der beide Ehegatten erfüllenden Angelegenheit durchmachen, hinterher aber erst ihn mit Sosia sich auseinandersetzen lassen wollte.'

Is autem restat scrupulus, quod Amphitruo Sosiam cum Blepharone advenientem eundem esse putare debuit, cui modo irrisui fuerit, sed neque poetam crediderim hanc rem ita instituere non potuisse, ut ea, quae offendere debebant spectatores, quasi tegeret et velaret, cum ipsum Mercurium faceret dicentem se nunc descendere, paulo post cum Blepharone adventurum esse, aut cum Amphitruonem faceret querentem de servi audacia atque impudentia, de uxoris scelere, neque spectatores crediderim miratos esse Amphitruonem summa ira inflammatum id non curare, quomodo servus efficere potuerit ut qui modo in tecto sedisset, nunc in via ambularet, sed quasi mente captum illum aggredi et atrocissime increpare. Scaenarum quae sequebantur argumenta, cum iam satis Hoffmannus, Brandtius, Schroederus explanaverint, narrare mitto; Alcumena quomodo a poeta in scaenam introducta sit nescimus, quibus cum verbis decesserit suspicari licet e versibus 1091 sqs:

'. . . postquam parturire hodie uxor occepit tua,
ubi utero exorti dolores, ut solent puerperae,
invocat deos inmortalis, ut sibi auxilium ferant',

orditur enim ancilla quasi domino et spectatoribus iam nota narrans, et solent fere puerperae decedere exclamantes: 'Heia: uterus dolet'; atque Juppiter dicit (vs. 1039): 'intro ego hinc eo: Alcumena parturit', quibus ipsis quoque e versibus illam rem spectatoribus non ignotam fuisse suspicor. Quod Juppiter (v. 879) Alcumenam sine doloribus geminos parituram esse dixit,[1]) illi sententiae non obstare videtur propter illum quem supra attuli versum 1092: 'ubi utero exorti dolores' et propter Mercurii verba (486 sqs):

'sed Alcumenae | huius honoris gratia
pater curavit uno ut fetu fieret:
uno labore absolvet aerumnas duas . . .'

Fragmentum XVI:

'+cuiusque me absente corpus volgavit suom'

haustum esse potest e scaena quae est inter Amphitruonem et Alcumenam, et e scaena, quae acta est inter Amphitruonem, Jovem, Blepharonem, et ex Amphitruonis oratione, cuius certum indicium non exstat. Quam rem decernere non audeo; sententiam autem illius fragmenti Amphitruonem planius exposuisse puto, quo gravius videretur scelus ab Alcumena commissum, cum ipse belli gerendi, patriae, familiae servandae et tuendae causa (v. 650) abesset. Eadem enim sententia in utroque argumento invenitur, in argumento I (2):

'dum bellum gereret cum Telobois hostibus',

in altero acrosticho (3):

'pro patria Amphitruo dum decernit cum hostibus'.

1) Idem narrat Bromia in vss. 1071 et 1100.

Quam sententiam ad rem in ipsa fabula narratam non plane quadrantem, quia Juppiter cum Alcumena concubuit qua nocte Amphitruo redierat et iam in portum advenerat, (cfr. v. 732: 'ibi cenavi atque ibi quievi in navi noctem perpetem'), argumentorum scriptores e fabula, Plautum ex exemplari hausisse ea ex re suspicor, quod idem profert Nonnus in Dionysiacorum l. XXXI, cum Iridem facit Somnum alloquentem (161 sqs.):

λεῦσσε δ' ἀτασθαλίην ἀδίκου Διός· Ἀμφιτρύων μὲν
νόσφιν ἑοῦ θαλάμοιο σιδηροχίτων μετανάστης
μάρναται· Ἀλκμήνῃ δὲ παρέζεται ἐνδομύχος Ζεύς,
νυμφιδίην ἀκόρητος ἔχων τρισέληνον ὁμίχλην.

IV. De Amphitruone fabula contaminata.

In contaminatarum fabularum numero esse Amphitruonem primus docuit Kakridis[1]): sed quamvis arguta ille attulerit argumenta, vix omnibus eum sententiam suam probavisse puto. Atque primum paucas illas differentias quas versibus quibusdam inesse Langenus in studiis Plautinis (p. 91 sqs., p. 233 sqs.) exposuit, e contaminatione ortas esse putat. Sed hoc argumento uti non licet, quia Plautum nonnullos exemplaris locos mutavisse verisimile est et quia tam leves et exiguae sunt illae discrepantiae, ut partim retractatori tribui possint, partim ne Graeco quidem poetae plane eas abrogare liceat, siquidem etiam apud nostrae aetatis scriptores similia neglegentiae cuiusdam exempla non deesse scimus; praeterea ipsae scaenae quas Kakridis alteri exemplari tribuit optime inter se coniunctae sunt. Etiam minus valet quod scripsit ille Langenum secutus de 'geographico errore' Plauti, qui exemplari male intellecto Thebas urbem maritimam esse putaverit; fugit virum doctum, hanc quaestionem iam anno 1888 pertractatam esse a Niejahrio in Commentatione scaenica[2]), qui feliciter docuit post Aristophanem comoediae scaenam in urbe maritima esse solere: 'atque quam arcte' inquit 'portus cum hac scaena coniunctus sit, eo demonstratur, quod inepte aliquando a poetis in fabulas inducitur. In „Amphitruone" Plauti etsi locus Thebis est, tamen scaena ita est conformata, quasi esset in urbe maritima . . .' Atque iniuria Kakridis (p. 464) mirari mihi videtur,

1) Mus. Rhen. 57 (1902) p. 463 sqs.: repetit. in 'Barbara Plautina' Athenis 1904.
2) Progr. Stadtgymnas. Halle a. d. Saale pag. 14 adn.

quod Alcumena non de se ipsa queratur, queratur solum de Jovis abitu, quem maritum suum esse censet (499 sqs.); nonne ita decet mulierem 'animo forti atque offirmato' praeditam, qualem cognoscimus e cantico illo pulcherrimo (633—636, 641—646[1]):

Satin parva res est voluptatum in vita atque in aetate agunda, 633
praequam quod molestumst? + ita quoique comparatumst in aetate hominum;
ita divis est placitum, voluptatem ut maeror comes consequatur:
quin incommodi plus malique ilico adsit, boni si optigit quid. 636

* * * * * *

plus aegri ex abitu viri quam ex adventu voluptatis cepi: sed hoc me beat 641
saltem quom perduellis vicit et domum laudis compos revenit: id solaciost.
absit dum modo laude parta domum recipiat se: feram et perferam usque
abitum eius animo forti atque offirmato. 646

Suo autem iure Kakridis eam scaenam, qua Alcumena geminos peperisse narratur, cum fabulae argumento pugnare scripsisse videtur; multis enim e locis concludere licet Jovem hac nocte primum cum Alcumena concubuisse; praesertim autem argumento contrarii sunt versus 476—485, quos dicit Mercurius:

nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet,
atque insimulabit eam probri: tum meus pater

1) Hoc canticum ex exemplari graeco haustum esse ex iis locis apparet quos collegit C. Lehrsius in capite, quo Graecorum sententias de deorum invidia et de 'ὕβρι' exposuit (Populäre Aufsätze² p. 33: Vorstellung der Griechen über den Neid der Götter und die Überhebung).

eam seditionem illi in tranquillum conferet.
nunc de Alcumena dudum quod dixi minus,
hodie illa pariet filios geminos duos:
alter decumo post mense nascetur puer
quam seminatust, alter mense septumo.
eorum Amphitruonis alter est, alter Jovis.
verum minori puero maior est pater,
minor maiori. iamne hoc scitis quid siet?

Langenus in studiorum Plautinorum pag. 237 dubium non esse censet, quin Mercurii verba a versu 479 ad versum 495 inferiori aetati tribuenda sint, et Fridericus Leo his versibus in editione adscripsit: 'in ipsa fabula non audimus Jovem iam ante hanc noctem cum Alcmena fuisse, immo contrarium intellegimus (cfr. Langen stud. Plaut. 233); tamen hac nocte ipse Hercules nascitur, quam rerum discrepantiam his verbis solvere voluisse videtur'. Sed quamvis longe haec narratio recedat ab argumento ipsa fabula tractato, quamvis longe recedere videatur ab iis quae Hesiodus Pherecydes Apollodorus Theocritus de Jovis cum Alcumena concubitu tradiderunt, tamen viris illis doctissimis compluribus de causis non assentior. Plautum infeliciter ingenio usum esse statueremus, si eum difficultates tollere volentem auxisse putaremus, quas facillime tollere ei licebat, cum Jovem diceret deum potentissimum hanc rem ita instituisse, ut eodem die Hercules seminatus nasceretur; neque aliis locis similem sententiam proferre dubitat, velut versu 139 'facile meus pater quod volt facit', versu 864 'qui interdum fio Juppiter, quando lubet'. Tantum igitur abest, ut versus illos Plauto deberi putem, ut poetae graeco multo maiore cum probabilitate mihi videar tribuere, qui illam de Herculis ortu fabulam ita mutaverit ut simplicior et magis credibilis fieret; neque vestigia fabulae ita mutatae deesse videntur. Hyginus enim sic eam narrat (ed. Schmidt p. 63, XXVIIII): 'qui cum [Amphitryon] in regiam intrasset et eam videret neglegentius securam mirari coepit et queri quod se advenientem non ex-

cepisset. cui Alcimena respondit: 'iam pridem venisti et mecum concubuisti et mihi narrasti quae in Oechalia gessisses'. Quae cum signa omnia diceret, sensit Amphitryon numen aliquod fuisse pro se; ex qua die cum ea non concubuit. quae ex Jove compressa peperit Herculem'. Qua de narratione recte exposuisse videtur Engelmannus in commentariolo de Euripidis Alcmena scripto[1] (p. 19[30]): 'Es ist mir nicht unwahrscheinlich, dass der Schluss bei Hygin sensit Amphitryon numen aliquod fuisse pro se; ex qua die cum ea non concubuit; quae ex Jove compressa peperit Herculem genau für die Alkmene des Euripides stimmt; nur auf diesem Wege, dass er Amphitryo auf den ehelichen Genuss verzichten lässt, vermag der Dichter seine Tragödie vor dem Komischen zu bewahren. Es kommt noch hinzu, dass Euripides auch sonst trotz vielfach sich bietender Gelegenheit den Iphikles, den um eine Nacht jüngeren Bruder des Herakles . . nicht erwähnt'. Quibuscum verbis si comparamus id quod Amphitruo σύλλεκτρος Jovis nominatur apud Euripidem, facile hoc quidem intellegimus illam quam Mercurius profert fabulae mutationem facile oriri potuisse, sive Euripidi sive posteriori poetae eam tribuere mavis, nam Iphiclem illos poetas plane neglexisse vix credibile est, et Hyginum putavisse Amphitruonem ante Jovem cum Alcumena concubuisse ex eo licet suspicari quod dicit: 'ex qua die cum ea non concubuit'.

Accedit quod huius fabulae vestigium exstat in scholio Iliadis (XIV 323) satis certum, etsi errori librarii felicissimo debetur, qui neglegenter alteram fabulam cum altera miscuit. Scholii verba ex Pherecyde Hesiodum secuto hausta sunt haec: 'ὡς δὲ ὑποστρέψας ἀπὸ τῆς στρατείας ἦγε τοὺς γάμους ἑαυτοῦ τε καὶ Ἀλκμήνης, τῇ αὐτῇ νυκτὶ ἐρασθεὶς αὐτῆς ὁ Ζεὺς καὶ εἰκασθεὶς Ἀμφιτρύωνι ἐμίγη καὶ υἱὸν ἐποίησεν· ὁμοίως δὲ καὶ Ἀμφιτρύων τῇ αὐτῇ νυκτί. ἤδη δ' ἐκείνης τὸν ἑπταμηνιαῖον

1) Progr. Gymnasii Fridericiani Berolinensis (Weidmann) 1882.

⟨quod alter quidam librarius correxit glossemate intermarginali adscripto: δεκαμηνιαῖον⟩ χρόνον τῆς μίξεως ἐχούσης γεννᾶται Ἡρακλῆς μὲν ἐκ Διὸς, Ἰφικλῆς δὲ ἐξ Ἀμφιτρύωνος.[1]) Facere igitur non possum quin graeco exemplari illos versus quos dicit Mercurius deberi censeam; et ipsius fabulae locos si perscrutamus, qui illi argumento obstant, paucos praeter actum quintum integrum fere contrarium invenimus:

vs. 479 sqs.: . . Alcumena . . . . . .
hodie illa pariet filios geminos duos.
499 sqs.: bene vale, Alcumena, cura rem communem quod facis
atque imperce, quaeso, menses iam tibi esse actos vides.
669 sq.: ad aquam praebendam commodum adveni domum
decumo post mense, ut rationem te ductare intellego.

Ne hos quidem versus ex alio exemplari haustos esse oportet, quia facile Plautus exemplari eos inserere potuit, cui illam scaenam additurus erat, qua Bromia 'tanta mira in aedibus facta' esse narrat. In fine fabulae eiusmodi compositae fortasse Juppiter, fortasse Tiresias prodiit quae facta et quae futura essent pronuntians; ceteroquin argumentum fabulae a Plauti fabula non diversum fuisse putare licet.

Sed etiamsi talem fabulam Plauti exemplar fuisse facile nobis persuademus, tamen difficillimam illam quaestionem non solvimus, unde hauserit Sarsinas poeta accuratissimam illam descriptionem eorum, quae Hercule nascente facta sunt. Ex epico quodam poeta vel e mythographo Plautum hausisse veri dissimillimum est neque ullo modo probari potest. Sed fabula, in qua et partus illa descriptio et errores ex Amphitruonis, Sosiae, Iovis, Mercurii similitudine orti locum habuerint, cum

1) Scholia Graeca in Homeri Iliadem ex codicibus aucta et emendata edidit Guilel. Dindorf Oxonii Lipsiae 1877 vol. IV p. 62.

fingi omnino non posse videatur, id solum relinquitur, ut inquiramus, an fortasse in exemplari graeco similis neglegentia esse potuerit, quam eleganter poeta ita texerit ut spectatores non offenderentur, quod eo fortasse modo poterat efficere, ut quo tempore Iuppiter cum Alcumena concubuerit, perspicue et clare omnino non diceret, sed in ambiguo relinqueret. Qua cum sententia non male coire videntur prologi versus praecipue hi:

is nunc Amphitruo praefectust legionibus:
nam cum Telebois bellumst Thebano poplo.
is prius quam hinc abiit ipsemet in exercitum,
gravidam Alcumenam | uxorem fecit suam.
nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini,
quod ego huc processi sic cum servili schema:
veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam.
nam ego vos novisse credo iam ut sit meus pater,
quam liber harum rerum multarum siet,
quantusque amator sit quod complacitumst semel.
is amare occepit Alcumenam clam virum
usuramque eius corporis cepit sibi
et gravidam fecit is eam compressu suo.
nunc de Alcumena ut rem teneatis rectius,
utrimque est gravida, et ex viro et ex summo Iove.
et meus pater nunc intus hic cum illa cubat,
et haec ob eam rem nox est facta longior,
dum ⟨cum⟩ illa quacum volt voluptatem capit.

Duplicem enim significatum habet vox 'gravida'; non ea solum mulier gravida nominatur, quae modo compressa est, velut in Trucul. v. 498 'nunc ad amicam decimo mense post Athenas Atticas viso, quam gravidam hic reliqui meo compressu, quid ea agat', sed etiam ea, quam mox parituram esse in aperto est, velut in Trucul. vs. 472 'quae me gravidam esse adsimulavi militi Babylonio' et in Amphitruone (667): — 'Qui? — Quia Alcumenam ante aedis stare saturam intellego. — Gravidam ego illanc hic reliqui, quom abeo', et in versu 681:

'et quom gravidam et quom te pulcre plenam aspicio gaudeo'. Et postquam narravit Mercurius, Alcumenam gravidam factam esse a Iove, pergit 'et meus pater nunc intus hic cum illa cubat', quasi non idem narraret, sed duas res, alteram altero tempore factam. Neque noctem dicit factam esse longiorem, 'ut magnae fortitudinis Hercules nasceretur'[1]), sed 'dum cum illa quacum volt voluptatem capit', quod tamen non licet premere ad Iovem eludendum fortasse scriptum; cfr. Diodor. IV 9,3: καθόλου δὲ τὴν ὁμιλίαν οὐκ ἐρωτικῆς ταύτην ἐπιθυμίας ἕνεκα ποιήσασθαι καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων γυναικῶν, ἀλλὰ τὸ πλέον τῆς παιδοποιίας χάριν'. Accedit quod quando Iuppiter Alcumenam primum compresserit, distincte nusquam dicit poeta, etsi ex ipsis rebus Iovem ante hanc noctem cum Alcumena non concubuisse nobis licet concludere; spectatores autem poterant suspicari, Iovem iam aliquanto temporis ante Alcumenam compressisse, nunc denuo amori satisfacere. Neque a tali fabula versus illi 476—485, de quibus supra scripsi, alieni sunt, sed locum in ea potuerunt tenere ita ut spectatores Iovem septem mensibus ante Alcumenam gravidam fecisse putare possent, quamvis mirum et veri dissimile eis acriter de ea re cogitantibus videri deberet. Ne eum quidem illis versibus puto offendisse qui paululum neglegenter hanc fabulam legerit, atque Langenum, qui multis fabulae locis contrarios illos esse docuit, compluries atque attento animo fabulam perlegisse verisimile est. Nihil igitur obstare videtur, quin Plautum exemplaris vestigia satis accurate pressisse putemus, quin orationes quoque illas Mercurii et Iovis ex exemplari eum hausisse existimemus, in quibus quae vel inter se contraria vel inutilia offendunt, facillime eo tollimus quod e versibus, quos dicit Mercurius, 486—490 et e versibus, quos dicit Iuppiter, 868—872 retractatori cuidam tribuimus. Atque optime ita orationes stant: Mercurius post-

1) Hieronymus II p. 348 C. Diodorus IV 9,2; Seneca in Agam. 827: sensit ortus, sensit occasus Herculem nasci: violentus ille Nocte non una poterat creari.

quam Iovem rem tam facilem et naturae legibus minime contrariam instituisse docuit, ut spectatores stuprum omnino non detectum iri suspicari possent, optime pergit:

> quamquam, ut iam dudum dixi, resciscet tamen
> Amphitruo rem omnem, ...

atque Iuppiter postquam sibi formam mutare utcumque lubeat licere professus est:

> nunc huc honoris vostri venio gratia,
> ne hanc incohatam transigam comoediam,

quibuscum optime coeunt vocabulo 'simul' e versu 869 repetito:

> simul Amphitruonem memet, ut occepi semel,
> esse adsimulabo atque in horum familiam
> frustrationem hodie iniciam maxumam.

Qua ratione si purgamus, eos ipsos versus retractatori tribuimus, quos suis locis ferri non posse viros doctos non fugit; Mercurii quidem verba 489—490 spurios esse ostendit Langenus pag. 235; quae insunt in versibus 486—488:

> 'sed Alcumenae huius honoris gratia
> pater curavit uno ut fetu fieret:
> uno labore absolvet aerumnas duas',

quorum simillima profert Iuppiter (866, 876 sqs.):

> 'nunc huc honoris vostri venio gratia' . . .
> 'atque Alcumenae in tempore auxilium feram,
> faciamque ut uno fetu et quod gravidast viro
> et me quod gravidast pariat sine doloribus',

ea multo aptius tribuuntur Iovi quam Mercurio.

Ex Iovis quoque oratione eos versus resecuimus, qui aut Mercurii quaedam verba inutiliter repetunt, velut 871. 872:

> 'nam mea sit culpa quod egomet contraxerim,
> si id Alcumenae | innocenti | expetat',

repetiti sunt e versibus 492 sqs.:

'nemo id probro
profecto ducet Alcumenae: nam deum
non par videtur facere, delictum suom
suamque culpam expetere in mortalem ut sinat',

aut ipsae scaenae quae sequitur contraria sunt; una cum versu 877 'in tempore auxilium feram' ferri non possunt versus 869. 870:

'. . Alcumenae, quam vir insontem probri
Amphitruo accusat veni ut auxilium feram'.

Versus autem 873 'nunc Amphitruonem memet ut occepi semel' et versus 866 'huc autem quom extemplo adventum adporto ilico Amphitruo fio et vestitum immuto meum' inter se non pugnant, quod censuit Leo, quia altero versu dicit Iuppiter, se vestitu et ornamento Amphitruonis similem esse, altero iis quae loquatur et agat Amphitruonem se imitaturum esse dicit. Quibus omnibus quae exposui fortasse non inutile est addere, etiam scriptorem hypothesis quintae Scuti Hesiodei concubitus et partus tempora non discrevisse: Λέγεται δὲ τὸν Δία τῇ Ἀλκμήνῃ ⟨συνελθόντα add. Rzach⟩ ἀνελθεῖν εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ εἰπεῖν, ὅτι ὃς γεννηθῇ ἐν ταύτῃ τῇ νυκτί, ἔσται φρόνιμος ἀνδρεῖος πλούσιος καὶ βασιλεύς. ζηλοτυπήσασα δὲ ἡ Ἥρα ἔκλεισε τὰς ὠδῖνας τῆς Ἀλκμήνης, τῆς δὲ Ἀρχίππης ἀνέῳξε. καὶ ἐγέννησεν Ἀρχίππη τὸν Εὐρυσθέα ἑπτάμηνον· καὶ ἐδόθη ἐκείνῳ τὸ εἶναι βασιλεὺς καὶ πλούσιος. γεννηθεὶς δὲ ὕστερος ὁ Ἡρακλῆς ἐκτήσατο τὸ ἀνδρεῖος εἶναι καὶ φρόνιμος.

Quamquam Amphitruonem fabulam contaminatam existimari necesse non esse studui docere, tamen veri similius mihi videtur e duobus exemplaribus Plautum eam hausisse. Atque primum graecus poeta, qui partus descriptionem suae fabulae additurus erat, non feliciter illos versus, quos dicit Mercurius de Iphicle decem mensibus ante, de Hercule septem mensibus ante concepto, fabulae inseruisse mihi videtur, quia hoc modo spectatorum animos attendebat ad id, quo argumentum claudicaret.

Quod omnino graecus poeta fabulam ita instituit, eo fortasse explicatur, quod complures poetas velut Platonem et Archippum hanc fabulam tractavisse scimus; alter cum ἐξάγγελον 'tanta mira' narrantem induceret, quae spectatorum animos funditus excitavisse facile credemus, alterum quasi superare voluisse mihi videtur, quod clarissime fortasse apparet e versibus quos dicit Iuppiter:

bono animo's: adsum auxilio, Amphitruo, tibi et tuis:
nil est quod timeas: hariolos haruspices
mitte omnes: quae futura et quae facta eloquar,
multo adeo melius quam illi, quom sum Iuppiter,

quibus poeta ad alteram illam fabulam alludere videtur, cuius in fine Tiresias quae futura essent pronuntiaverat.

Deinde ne oblitteratarum quidem scaenarum vestigia quaedam in Amphitruone fabula deesse videntur, velut in ea scaena II 2, quae est inter Alcumenam et maritum et Sosiam servum (714 sqs.):

AL. Ecastor equidem te certo heri advenientem | ilico
et salutavi et valuissesne usque exquisivi simul,
mi vir, et manum prehendi et osculum tetuli tibi.
SO. Tun heri hunc salutavisti? AL. Et te quoque etiam, Sosia.

praecipue versus 744 sqs.:

AL. Quis igitur nisi vos narravit mi, illi ut fuerit proelium?
AM. An etiam id tu scis? AL. Quippe qui ex te audivi, ut urbem maxumam
expugnavisses regemque Pterelam tute occideris.
AM. Egone istuc dixi? AL. Tute istic, etiam adstante hoc Sosia.
AM. Audivistin tu me narrare haec hodie? SO. Ubi ego audiverim?
AM. Hanc roga. SO. Mequidem praesente numquam factumst, quod sciam.

Quibus verbis vis et lepos tum solum inesse videntur, si spectatores ipsi Jovem et Mercurium in scaena spectaverant illa Alcumenae narrantes, quae in Plautina fabula Sosia deinde a versu 197 narrat. Atque talem scaenam in exemplari graeco locum habuisse eo facilius nobis persuadebimus, quia vas pictum exstat (Wieseler Theatergebäude tab. IX 11), quo Juppiter et Mercurius ad Alcumenae, quae per fenestram conspicitur, aedes accedentes conspiciuntur, etsi huius picturae argumentum eo ab illa scaena quam mihi effinxi abhorret quod Juppiter scalas gerit. Atque versus illi quos modo attuli 714 sqs., 744 sqs., eo graviores et utiliores mihi esse videntur, quo magis pugnant cum prologo, in quo haec proloquitur Mercurius:

pater nunc intus suo animo morem gerit:
cubat complexus, quoius cupiens maxumest.
quae illi ad legionem facta sunt, memorat pater
meus Alcumenae|: illa illum censet virum
suom esse quae cum moechost. ibi nunc meus pater
memorat, legiones hostium ut fugaverit,
quo pacto sit donis donatus plurumis.

Quae differentia eo explicatur quod Plautus prologo argumentum prodit scaenae cuiusdam, quam in exemplari invenerat, eo mutato, quod Amphitruonem in aedibus illa omnia Alcumenae narrare dicit.

Alterum vestigium videtur esse versus 659, quem dicit Sosia:

quid? me non rere expectatum amicae venturum meae?

qualem scaenam novae aetatis poetae Plauti Amphitruonem imitati effinxerunt.[1]) Etiam ex prologi versibus 124 sqs.:

ego servi sumpsi Sosiae mihi imaginem,
qui cum Amphitruone abiit hinc in exercitum,
ut praeservire amanti meo possem patri

1) Velut Molierius eumque secutus Kleistius in Amphitruone II 3.

atque ut ne qui essem familiares quaererent,
vorsari crebro hic cum viderent me domi,

apparere mihi videtur, alios quoque Amphitruonis familiares praeter uxorem et servum in scaenam inductos et a Mercurio ludificatos esse, quae sententia fortasse probatur versibus 470 sqs., quos ipsosquoque dicit Mercurius:

erroris ambo ego illos et dementiae
complebo atque omnem Amphitruonis familiam,
adeo usque satietatem dum capiet pater
illius quam amat: igitur demum omnes scient . . etc.

Quae illa sit Amphitruonis 'omnis familia' nescimus, neque Sosia a Mercurio post hanc orationem denuo ludificatur; quod tamen fortasse non dignum est quod prematur, quia Sosia sine dubio spectatoribus in illa scaena II 2, quae est inter Amphitruonem, Sosiam, Alcumenam, et in scaena II 1, quae agitur ab Amphitruone et Sosia, ludibrio est, cuius auctor fuit Mercurius in scaena I 1. Accedit quod versu 475 narratio Mercurii, qui ad hunc versum omnia ex ordine narravisse videtur, quasi interrumpitur, cum denuo incipiat ab iis, quae paulo post in scaena proxima aguntur, neque sine probabilitatis quadam specie mihi videor existimare, illos superiores versus e fabula simillima, sed non eadem haustos esse, e qua inferiores hausti sunt; atque in altera illa fabula Mercurius praecipuas partes egisse videtur. Talem autem fabulam effingere et inquirere, quae scaena ex hoc, quae ex altero exemplari hauriri potuerit, inutile mihi esse videtur, quia certis quaestionis auxiliis egemus; 'Amphitruonem' scripsit Archippus, 'Noctem Longam' Plato, quae fabulae fortasse Plauti exemplaria fuerunt, etsi alias etiam fabulas eiusdem argumenti exstitisse negare non licet, neque quidquam titulorum illorum scientia nobis prodest, cum fragmenta minora sint, quam e quibus de argumentis suspicari possimus. Fortasse unius poetae sunt scaenae I 1 et III 2 propter iocos simillimos in versibus 392, 436, 933 sq.:

. . . . 'tum Mercurius Sosiae iratus siet',
'at ego per Mercurium iuro, tibi Jovem non credere', quos

versus dicit ipse Mercurius,

'id ego si fallo, tum te, summe Juppiter,
quaeso Amphitruoni ut semper iratus sies', quos dicit

ipse Juppiter;
eodem modo uni poetae fortasse tribuendae sunt scaena II 1 et II 2 et propter actionis conexum et propter versus consulto inter se oppositos 622 sq. et 697; illos dicit Sosia:

non soleo ego somniculose eri | imperia persequi.
vigilans vidi, vigilans +nunc video, vigilans fabulor,
vigilantem ille me iam dudum vigilans pugnis contudit,

hunc dicit Alcumena:

'equidem ecastor vigilo et vigilans id quod factumst fabulor';

sed ne talia quidem ad exemplaria secernenda et restituenda prosunt. Laudanda est certe, si recte haec exposui, Plauti ars, qui elegantissime e duabus fabulis hanc unam composuit.

V. Ad Plautum graeci exemplaris imitatorem animadversiones duae.

a. Σωσίας.

'Τὰ μὲν οὖν τῶν ἡρώων καὶ ἀνθρώπων λεγόμενα ὀνόματα ἴσως ἂν ἡμᾶς ἐξαπατήσειε. πολλὰ μὲν γὰρ αὐτῶν κεῖται κατὰ προγόνων ἐπωνυμίας, οὐδὲν προσῆκον ἐνίοις, ὥσπερ κατ' ἀρχὰς ἐλέγομεν· πολλὰ δὲ ὥσπερ εὐχόμενοι τίθενται, οἷον Εὐτυχίδην καὶ Σωσίαν καὶ Θεόφιλον καὶ ἄλλα πολλά.'[1]) Sunt verba Platonis in Cratylo (p. 397). In hoc nominis illius felici omine 'Amphitruonis' exemplaris poetam compluries lusisse vel ex ipsis versibus tam clare apparet, ut vel unum verbum addere plane inutile sit:

313: 'servaveris: nam continuas has tris noctis pervigilavi.'
331: '. . . . . . salvos sum, non me videt:'
'nescioquem' loqui autumat: mihi certo nomen Sosiaest.'
378: ME. Quoius es? SO. Amphitruonis inquam Sosia. ME. Ergo istoc magis
quia vaniloquo's vapulabis: ego sum, non tu, Sosia!
580: . . . . . SO. Nam quor istuc
dicis? equidem valeo et salvos sum recte, Amphitruo.
AM. At ego te faciam proinde ac meritus es
ut minus valeas et miser sis, salvos domum si rediero iam.'
302: agite pugni: iam diust quom ventri victum non datis.
iam pridem videtur factum, heri quod homines quattuor
in soporem collocastis nudos. SO. Formido male

1) De tali superstitione cf. Mommsen Eph. ep. V 14 Birt ind. Marb. 1887/8 p. III. Kroll, Arch. f. Religionswiss. VIII Beiheft 49.

(305) ne ego hic nomen meum commutem et Quintus fiam e Sosia.

Quos versus, praecipue trecentesimum quintum, Plautum non 'verbum de verbo exprimentem' vertisse in aperto est, quia graecum praenomen numero ordinali effectum nescimus[1]; graeci versus sententiam suspicari licet e Platonis loco, quem attuli, ita ut putem graecum Sosiam timuisse ne fieret 'ἄσωτος ἀντὶ Σωσίου.' Quibus verbis quantum insit leporis facile cognoscitur e Gellii loco (VI ⟨VII⟩ 11): 'Levitatem' plerumque nunc pro inconstantia et mutabilitate dici audio et 'nequitiam' pro sollertia astutiaque. Sed veterum hominum qui proprie atque integre locuti sunt 'leves' dixerunt, quos vulgo nunc viles et nullo honore dignos dicimus, et 'levitatem' appellaverunt proinde quasi vilitatem et 'nequam' hominem nihili rei neque frugis bonae, quod genus Graeci fere 'ἄσωτον' vel 'ἀκόλαστον' dicunt[2].'

b. vs. 534—537.

IV. nunc tibi hanc pateram, quae dono mi illi ob virtutem datast,
Pterela rex qui potitavit, quem ego mea occidi manu,
Alcumena, tibi condono. AL. Facis ut alias res soles.
ecastor condignum donum, qualest qui donum dedit.
ME. Immo sic condignum donum, qualest qui dono datumst.

---

1) Poetae vix crediderim talibus nominibus uti licuisse qualia attulit Usenerus ('Chronologische Beiträge' mus. Rhen. 34 p. 421 adn.): '. . nichts ist bekannter und gewisser als dass häufig der Eigenname eines Kinds von dem Tage der Geburt hergenommen wurde, wenn derselbe ein festlicher war: Ἑβδομίας (CIA 1 u. 358) Ἑβδομίσκος (Andros, Rangabé ant. hellén. n. 1191) Εἰκάδιος und Ἰκάδας (Heuzey, mont Olympe p. 467 n. 4,12), Ἀνθεστήριος Ἀπατούριος Λήναιος, Πανιώνιος (Mionnet descr. III p. 207 n. 1124) Καρνεάδης (s. Plut. symp. VIII 1, 2 p. 717 d);'

2) An poetae fortasse uti licuit vocibus illis consonis 'πεμπτός' et 'πέμπτος'?

Qui versus quamquam per se bene intelleguntur, tamen quanta iis insit vis nondum satis perspectum esse videtur, facillime autem cognoscitur ex Athenaei loco XI 781 C, ed. Kaibel. III p. 16: 'αὐτός γε μὴν ὁ Ζεὺς τῆς Ἡρακλέους γενέσεως ἄξιον ἡγεῖται δῶρον Ἀλκμήνῃ δοθῆναι ποτήριον, ὅπερ Ἀμφιτρύωνι εἰκασθεὶς δίδωσιν,

ἁ δ' ὑποδεξαμένα θαήσατο χρύσεον αἶψα

[ποτήριον].' Cui versui adscripsit Meineke IV p. 212: 'E numeris si coniecturam capere licet, Stesichori hic versus fuit, cuius in proximis Athenaeus mentionem inicit.' Cuicumque poetae debetur, ex 'Amphitruonis' versibus facile intellegitur, superiora quoque verba Athenaeum ex eodem carmine hausisse, et Mercurium intellegimus ad illud carmen alludere, cum Alcumenam quae dixerit: 'ecastor condignum donum qualest qui donum dedit' quasi corrigat et aliter scripsisse poetam epicum admoneat:

'immo sic condignum donum qualest quoi dono datumst.'

Vita.

Natus sum Gualtharius Schwering Gualtharii filius Billerbecis, in Guestphaliae Monasteriensis oppido, a. d. XI. Kal. Septembres anni p. Chr. n. MDCCCLXXXV. Patrem non minus quam matrem e gente Heyl ortam in vivis esse gaudeo. Litterarum elementis in patrii oppidi schola quae vocatur 'Rectoratschule' instructus adii gymnasium Warendorfiense. Maturitatis testimonium Coesfeldiae assecutus vere anni huius saeculi tertii Almam Matrem Monasteriensem petivi, cuius etiamnunc sum civis. Docuerunt me viri clarissimi: Busse, Cauer, Erman, Geyser, Hosius, Jostes, Koepp, Kroll, Krüger, Niehues, Radermacher, Sonnenburg, Spicker, Stahl, Stork†, Streitberg. Sonnenburgii et Hosii, iam Gryphiswaldensis, benevolentia erga me factum est, ut in seminarium philologicum reciperer eiusque per duo semestria essem sodalis ordinarius, per unum senior. Exercitationibus suis ut interessem benigne permiserunt archaeologicis Koepp, sanscriticis Streitberg. Quibus omnibus viris gratiam habeo maximam, praecipue Sonnenburgio, qui studiis meis eximia cum benevolentia et humanitate favit, qui opera et consilio me adiuvit.